Ex libris L. Xaverii E. C.

Canelis [illegible]

HYMENEON SACRUM
In Eremo Paulina
CELEBRATUM.

[illegible]

R. P. [illegible]VENTURAM [illegible]

S. ORDINIS MONACHORUM S. PAULI

PRIMI EREMITÆ SUPPRIOREM ET MAGI-

STRUM NOVITIORUM

ELUCUBRATÆ.

Nunc verò

HONORI & VENERATIONI

DIVI THOMÆ AQUINATIS

ANGELICI QUINTI ECCLESIÆ

DOCTORIS

DEDICATÆ.

Unâ cum

CONCLUSIONIBUS THEOLOGICIS

MENTI S. THOMÆ AQUINATIS

ANGELICI QUINTI ECCLESIÆ DOCTORIS

C O N F O R M I B U S.

Quas

in Monaſterio Rupellano ad S. STANI-SLAUM Epiſcopum & Mart: Anno Domini 1780, *die* 25. *Aprilis publicè defendendas ſuſcepit* V. P. Thadæus Stodołkiewicz *Ordinis ſupra præfati Theologus conſummatus.* Præſidente R. P. Damiano Smoniewſki *ejusdem Ordinis Sacræ Theologiæ Doctore ac Profeſſore actuali.*

CONCLUSIONES
EX UNIVERSA THEOLOGIA
Juxta Mentem S. THOMÆ AQUINATIS Angelici Quinti Ecclesiæ Doctoris.

I. Existentia DEI, ut est Author naturæ à nemine usu rationis prædito potest invincibiliter ignorari. II. DEUM esse unum profitemur, quare excludimus Politheismum seu Idololatriam, cujus natales derivare volumus post Diluvium à Chami Posteris. III. Dum asserimus DEUM non esse Corpus Antropomorphitarum respuimus errorem, à quo SS. Melithonem & Epiphanium alienos esse defendimus, jam Tertullianum, probabile est, non sensisse, aut saltem revocasse præfatum errorem, sustinemus. IV. Pro constitutivo metaphysico Essentiæ DEI prædicatum Entis à se assignamus. V. Aliqui hac in vita ex singulari privilegio clarè viderunt DEUM ut Moyses & Paulus. VI. Porro in Patria Beati DEI essentiam intuitivè vident, sed videntes DEUM ipsum nequaquam comprehendunt. VII. Animæ Justorum quibus nihil post hanc vitam luendum superest, statim ac solutæ

à corporibus, ad æternam DEI viſionem beatificam evolant. VIII. Nequé Joannes XXII. unquam aſsertivè docuit Animas Sanctas usqué ad supremum judicii diem, viſione DEI beatifica haud fruituras. IX. Ex celeberrimo Jacobi Vaticinio Meſsiam jam pridem veniſse contra Judæos demonſtramus. Isque fuit JESUS NAZARENUS Virginis MARIÆ Filius à Judæis crucifixus. X. In Chriſto sicut unam Personam, ita duas naturas, Divinam scilicet & humanam profitemur. XI. Beata Virgo MARIA (contra quam Neſtorius blaterat) recte DEIpara, seu Mater DEI vocatur. Ac fuit & permanſit tam in partu quam etiam poſt partum Virgo. XII. Sacramenta novæ legis in subjectis non habentibus obicem causant gratiam ex opere operato. XIII. Ad validitatem Sacramentorum in Miniſtro non ſufficit intentio peragendi ludicrè ritum externum Sacramenti, nec ſufficit intentio merè externa, sed requiritur omninò seria & interna. XIV. Non tamen requiritur in Miniſtro fides, aut probitas ad id, ut suus Sacramento non deſit valor. XV. Chriſtus Sacramentum Baptismi inſtituit ante suam Paſsionem,

quan-

quando nempe in Jordane à Joanne fuit baptizatus. XVI. Filios infidelium ſolùm politicè & civiliter Principibus & Dominis Chriſtianis ſubjectorum invitîs eorum Parentibûs non licet baptizare. XVII. Euchariſtia ſumpta ſub utraq; ſpecie non confert majorem gratiam ex opere operato, quàm ſumpta tantum ſub una. XVIII. Pænitentia eſt verum novæ legis Sacramentum diſtinctum à Baptiſmo, ejusve memoria. XIX. Eſt à Chriſto Domino immediatè inſtitutum, non ſolum quantum ad poteſtatem clavium, ſive abſolvendi à peccatis, verum etiam quantum ad confeſsionem peccatorum. XX. Nullum datur peccatum tantæ gravitatis, quod per veram pænitentiam deleri non poſsit. XXI. Integritas formalis eſt jure Divino neceſsaria ad validitatem confeſsionis ita, ut pænitens intantum teneatur confiteri omnia & ſingula peccata quo ad numerum, ſpeciem, & circumſtantias mutantes ſpeciem, inquantum aliqua juſta causa, non excuſat. XXII. Nulla unquam Eccleſiaſtica lege impoſita fuit neceſsitas publicæ confitendi occulta peccata. XXIII. Pænitentia publica pro ſolis publicis peccatis infligebatur ita, ut ne quidem

mor-

mortalia graviora vel etiam gravisſima, niſi publica eſsent & ſcandalosa, pænitentiæ publicæ & luctuosæ ſubjecta fuerint. XXIV. Solus Sacerdos eſt Miniſter legitimus confeſsionis Sacramentalis. Et abſolvens Sacramentaliter, verè & propriè remittit peccata, non verò declarat tantum remiſsa. XXV. Miniſtri Sacramenti Matrimonii ſunt ipſi contrahentes. XXVI. Angeli ſunt omnino incorporei & purè ſpirituales, qui lumine naturali non poſsunt ſcire ſecreta cordium. XVII. Admittendum eſse veram Religionem, eamqué revelatam contra Theiſtas dicimus. XXVIII. Hanc verò unicam tantum eſse, in qua ſalus obtineri poſsit, nempe solam Romano Catholicam adverſus Libertinos propugnamus. XXIX. Symbolum quod dicitur Apoſtolorum, fuit ab Apoſtolis traditum; & Conſtantinopolitanum ſemper ab Eccleſia ut teſsera fidei receptum eſt; Porro Athanaſianum num genuinum ſit opus, in probabilitate relinquimus. XXX. Sensus Scripturæ Sacræ eſt obſcurus multis in locis, ſed præter Scripturam Sacram neceſsario admittendæ ſunt Traditiones Divinæ. XXXI. Non ſoli Juſti ſed peccatores etiam publici sunt in

Eccle-

Ecclesia. Jam Hæretici non tantum manifesti, verum occulti & interni non sic sunt in Ecclesia ut sint ejus vera membra. XXXII. Christi Ecclesia est semper visibilis, eique quatuor tantum notas, scilicet quod sit una, Sancta, Catholica, & Apostolica, assignamus. XXXIII. Summus Pontifex Auctoritate & jurisdictione omnî conciliô est Superior. XXXIV. Solius etiam ut certi & indubitati Pontificis est, convocare Concilium generale eiqué auctoritative præsidere, vel per se vel suos Legatos. XXXV. Lex vetus fuerat bona & à Deo orta, tamen comparativè ad Legem Evangelicam minùs perfecta. XXXVI. Porrò cessavit in ipsa morte Christi, & vim sive obligandi, sive expiandi, qualem habuerat, amisit in ipsa die Parasceves, quando Christus mortuus est. XXXVII. Christus est verus novæ Legis Auctor. XXXVIII. Non omnia peccata sunt inter se connexa, ita, si quis unum committat, contrahat malitiam cæterorum. XXXIX. Neque sunt æqualia, sed unum est graviùs alio. XL. Præter peccatum mortale dantur naturâ suâ venialia. XLI. Et peccatum originale traducitur in Posteros Adæ. XLII. Dum verò de hoc pec-

cato

cato agimus, cum Sacro Sancti Concilii Patribus profitemur nolle nos comprehendere Beatam & Immaculatam V. M. DEI Genitricem, immò asserimus, etiam à debito proximo illud peccatum contrahendi eam præservatam fuisse. XLIII. Aliquando DEUS remittit peccatum mortale & reatum pænæ æternæ ita tamen, ut velit hominem cui remissio facta est, aliquâ pænâ puniri temporalî. XLIV. Propterea orthodoxa docet veritas existere Purgatorium, in quo saltem quibusdam animabus per aliquod tempus irrogantur pænæ pro ratione delicti, & ratione reatûs pænæ nondum solutæ. XLV. Homo lapsus per peccatum non amisit libertatem indifferentiæ ad benè moraliter operandum. XLVI. Gratia actualis supernaturalis est homini ita necessaria, ut sine illa actum nullum salutarem, & in substantia supernaturalem elicere possit. XLVII. Dari gratiam purè sufficientem in statu naturæ lapsæ contra Jansenium & ipsius sequaces defendimus. &c. &c.

Ad MAJOREM DEI GLORIAM.

* * * *
* *

PROTESTATIO
Authoris

FIrma fide credo, & profiteor omnia, & singula, quæ Sancta Mater Ecclesia Romano-Catholica, & Apostolica utpote *Columna, & firmamentum veritatis* 1. Tim. 3. 15. credenda proponit, illamquè ceu obsequentissimus filius veneror, & agnosco, ac opusculum præsens illius judicio submitto; & quidquid illa approbaverit, pro rato, & grato habeo; quidquid verò rejecerit, etiam ego rejiciendum censeo, rejectùmquè volo.

FACULTAS

REVERENDISSIMI PATRIS GENERALIS PRÆLATI INFULATI.

UT Religiosum, & Asceticum opus P. Bonaventuræ Meress Ordinis nostri Professi, & Novitiorum Magistri, à duobus Theologis per nos deputatis revisum, & aprobatum Typis vulgari possit, facultatem in Nomine Domini, quoad in nobis est concedimus. Dabamus in Monasterio Vallis Mariæ Annô 1772. die 11. Junij.

PAULUS ESZTERHAZY Ords. Monachorum S. PAULI p. EREMITÆ PRIOR GENERALIS mpp.

CENSURA THEOLOGORUM ORDINIS.

HYmeneon Sacrũ continens Exhortationes ad Professiones Sacras, operâ R. Pris Bonaventuræ Meress Magistri Novitiorum & Supprioris Monasterij Pinczoviensis ad Ædẽ S. Joannis Evangelistæ Ordinis Monachorum S. Pauli Primi Eremitæ, cùm nihil contra-

trarium Fidei, imo consonum sensui Ecclesiæ S. Contineat ad mandatum Rdssimi Patris Generalis Prelati Infulati perlectum approbo, ac prælo dignum censeo, salvo Jure eorum. Quorum de Jure &c. Datt. in Monasterio Clari Montis Częstochoviensis die 5. Martij Annô Dñi 1772.

Fr. Nepomucenus Viktor Vicarius Provinciæ S. T. D. mpp.

HYmeneon Sacrum continens Exhortationes ad Professiones Sacras operâ R. P. Bonaventuræ Merefs Magistri Novitiorum & Supprioris Monasterij Pinczoviensis Ordinis Monachorum S. Pauli primi Eremitæ; cùm nihil contrarium Fidei, imo consonum sensui Ecclesiæ contineat, ad mandatum Reverendissimi P. Generalis Prælati Infulati perlectum approbo. Datum in Monasterio Clari Montis Częstochoviensis die 22. Aprilis Annô Domini 1772.

Fr. Justus Rendak Pater Provinciæ S. Thlæ Doctor Ejusdem Ordinis mpp.

APPROBATIO
CENSORIS ORDINARIJ

EXhortationes XXXIII. Sacras, in gratiam eorum qui Solemnia Religionis vota emittunt per Admodum Reverendum ac Doctissimum Patrem Bonaventuram Meress S. Ordinis Monachorum S. Pauli primi Eremitæ elaboratas, vidi legi & examinavi, & quia nihil continent quod aut Sacrosanctæ Fidei Catholicæ Romanæ, aut bonis moribus adversetur, quinimo omnia per totum Spiritum Apostolicum, & multiplicem variamquè eruditionem præseferunt, quocirca easdem dignas luce publica censeo. Dabam in Collegio Majori Universitatis Cracoviensis Die 29. Mensis Augusti Annô Dni. 1773.

M. JOSEPHUS ALOYSIUS PUTANOWICZ S. T. Doctor Eccl: Coll: SS. OO. Crac. Præpositus, in Opatowiec Curatus, Librorum per Diœcesim Crac. Censor. mpp.

IMPRIMANTUR
F. POTKANSKI Suff. Off. Crac.

VIR.

PRÆFATIO
AD
Benevolum Lectorem

Exhortationes pro sacris Professionibus innato tuo favori presento Benevole Lector! Tractant illa de tribus Religiosis votis; Paupertate duntaxat, Castitate, & Obedientia, quibus anima expolians se veterem hominem cum actibus suis (Colofs. cap. v. 3. 9. & sequ.) & induens novum, eum, qui renovatur in agnitionem secundùm imaginem ejus, qui creavit illum, ubi non est Gentilis, & Judæus, circumcisio, & præputium, Barbarus, & Scytha, servus, & liber: sed omnia, & in omnibus Christus, *Regi Regum desponsatur (Osea 2. 19.) & ideò* Hymeneon sacrum *appellata. Et dum fortassis oblatâ hâc tibi opellâ in admirationem eò, quia* nescio loqui *(Jer. 1. 6.) raperis, visâquè illâ replicas ejusmodi infinitis (ut ita dicam) operibus, etiam minimas abundare Biblothecas, proin supervacaneam, & positam inaniter operam in ÿs augendis ; adest præstò Rupertus Tuitiensis Abbas consolatione, qui l. 11. in Matth. in init. ita fatur:* Nemo miretur dicens: Quid, vel ad quid iste scribit, cùm Sancti Patres sufficienter scripserint, quæ cuncta legere nemo

no-

nostrum sufficit? Nam si alteri nemini, at mihi scribenti hoc ipsum, quod scribo, jam proficit. Hoc dulce studium jam in præsenti nonnihil præmij, nonnullum habet suæ executionis emolumentum. *Hinc, quamquam de præsentibus Exhortationibus non nisi unam, & alteram dixerim, ita tamen singulas concinnare studui, ut fructus laboris non solùm Professandis pro ulteriori vita, sed & ipsis, qui excipiunt Professiones, valeat juvamine esse. Confiteor præterea me illum fore, qui non habeo donum de super (Jacob. 1. 17.) ut stylum phaleratis latinitatis expressionibus affectare valuissem, & ideò planum tantùm servare debui. Et alioquin :* Quid prodest clavis aurea (*inquit S. Augustinus l. 4. de doct. Chist. c. 11.*) si aperire, quod volumus, non potest? Aut quid obest lignea, si hoc potest: quando nihil quærimus, nisi patere; quod clausum est? *Intereà, si altissimo tuo judicio in præsentibus pagellis arriserint quæpiam, DEUM omnis boni Largitorem benedic unà mecum; si damnaveris reprehenderisvè in eis plurima, aut etiam omnia, vitiô non verto; siquidem verè canit Poëta:*

Diversis diversa placent: quod spreverit unus,
Alter amat; Cunctis nemo placere potest.

VALE.

EXHORTATIO I. ad plures.

Exijt IESUS in montem orare, & cùm dies factus esset, vocavit Diſcipulos ſuos. Luc. cap. 6. ℣. 12. 13.

1. FActum ineffabilibus plenum myſterijs! conſilium penitus occultum! humanam longè tranſcendens intelligentiam! Verbum mundo abſconditũ. JESUS Chriſtus Filius DEI, cujus velle facere eſt, ille, inquam, qui ſolô voluntatis ſuæ imperiô (Gen. cap. 1. ℣. 1.) produxit cælum, & terram, & omnia quæ in eis ſunt, ille in cujus poteſtate (Matth. 28. 18.) Pater æternus omnia poſuit, exijt in montem orare. Ipſe uti-

què eſt DEUS verus de Deo vero? ipſe eſt DEUS deorum? quis igitur eſt, quem orat? ipſe Dominus Dominorum, cui ergo ſupplicat? Arduum hujus difficultatis nodum reſolvit Præſul Mediolanenſis D. Ambroſius lib. 5. Comment. in Luc. 6. poſt init. dum ita fatur: *Etſi omnia poſuerit Pater in ptteſtate Filij Filius tamen, ut hominis formam impleret, obſecrandum Patrem putat eſſe pro nobis, quia advocatus eſt noſter.* Orat itaquè Servator noſter juxta eundem S. Doctorem l. c. *non, ut pro ſe obſecret, ſed, ut pro nobis impetret.*

2. Verùm quæ ſingularis, & individua cauſa, quis ſcopus, quod motivum hujus celeberrimæ precationis? profectò non aliud nisì quod S. adducit Evangelium videlicet: Apoſtolicæ vocationis præſtantia, ob quam mundo demonſtrandam, priuſquam ad ineffabilem Apoſtolorum electionem procederet, dignatus eſt ſolus montem aſcendere, in monte orare, in oratione pernoctare, ac demum die facto Diſcipulos vocare, & duodecim ex illis in Apoſtolos ſegregare.

3. Dilectiſſimi Profeſſandi Divina ad Statum Religioſum Vocatio, apoſtolicæ vocationis eſt æmulatio! ac vel ideò profundiùs conſiderate vos non veſtris meritis, aſt Dei miſeratione ad tam ſublimem vocari Statum, ut ſci-

licet ad excelſum Religioſæ Perfectionis montem aſcendatis. Immenſa eſt Religioſæ Perfectionis ſublimitas, quid igitur factu opus, nè ad tam alta ſcandentes deficiatis, aſt feliciter ad metam perveniatis? Quæſtionem hanc energicè ſolvit memoratus Doctor D. Ambroſius ibid. *Non veſtigijs corporalibus ſed factis ſublimioribus in hunc montem aſcende, & ſequere Chriſtum, ut ipſe eſſe mons poſſis.* Securum itaquè iter ad altum S. Profeſſionis culmen, ſublimia diſponunt facta. Favete.

4. Magnam eſſe Religioſæ Profeſſionis dignitatem, diſtinctiſſimum Religioſorum nomen, grandemquè eorum prærogativam, teſtantur vel ipſa innumera, ijsdem à maximis Principibus collata privilegia, ac à Deo promiſſa præmia. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Matth. 19. 29. Hinc quoquè minimè mirandum, quòd ob adimplendam tanti nominis menſuram, multa, eaquè non vulgaria exigantur. Expoſtulat Status Religioſus à ſuis Profeſſoribus animum prorſus excelſum, omnibus creaturis ſuperiorem, requirit virtutes excellentes, & mores potiùs Angelo quàm homini ſimiliores. Verbô: Religioſi Status vertex non aſcenditur veſtigijs corporalibus, ſcilicet non per

habitum, & tonsuram, non per recitata formæ Professionis verba, sed per facta sublimia conditioni Religiosæ convenientia. atquè vel ideò quisquè Religiosus Professus sub culpa mortali tenetur tendere ad Perfectionem per media Status sui.

5. Et nunquid non, tendentia hæc, ascensus iste ad Perfectionem sublimia requirit facta? nunquid non vita viri Religiosi apostolicarum virtutum exigit æmulationem? citra omne dubium! si omni Christiano, Nobis profectò veluti Apostolorum sequacibus per suum Evangelistam Matth. 5. 48. urgentiùs acclamat Sapientia Incarnata dicens: *Estote ergo vos perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Et Princeps Apostolorum 1. Petr. 1. 15. 16. gravissimè exhortatur Christi sequaces; præcipiens: *Secundùm eum, qui vocavit vos, Sanctum; & ipsi in omni conversatione sancti sitis: quoniam scriptum est: sancti eritis, quoniam ego sanctus sum.* Quod pensiculatiùs considerando D. Ambrosius subinfer lib. de Jacob, & vita beata c. 8. dicendo: *Perfecti viri est, quasi fortem militem gravissimorum casuum sustinere incursus, conflictus subire, & quasi providum gubernatorem, navem in tempestate regere, atquè occurrendo insurgentibus fluctibus magìs vitare naufragium sulcando undas, quàm declinando.* Et rectè: Religiosa namquè Professio Palæstra est virtutum, studium Perfectionis, in

quo

quo necesse est de virtute, in virtutem progredi usquè ad summum sanctitatis fastigium. Qui progressus quantùm valeat apud Deum, audiatur vel ipse Lucius Apuleius de Deo Sacratis inquiens: *Nihil est similius, & gratiosius Deo, quàm vir animô perfectô bonus, qui in tantum homines cæteros antecellit quantum ipse à dÿs immortalibus antecellitur.* Et nequè res quampiam patitur impossibilitatem: enimverò inquit pat ethnicâ pravitate infectus, anteriori Cic. lib. 3. Tuscul. quæst. *In animabus nostris semina virtutum innatæ sunt, quæ si bonus cultor crescere permitteret, ipsam naturam ad perfectionem deduceret.*

6. Quamobrem Dilectissimi Fratres Professandi, accingite lumbos vestros, & parate corda vestra virtuoso ascensui; ad quem non sufficit sola præceptorum observantia, ast insuper exigitur Evangelicorum Consiliorum custodia tenax; ad quam vos hìc & nunc non coactè, sed liberè, & spontè obstringere debetis, si Christi Discipuli esse desideratis, prætenditis, & cupitis. Atquè hæc ipsa illibata Consiliorum præfatorum executio facta involvit sublimia, & non minùs ad Religiosæ Perfectionis montem securum præparat iter, consequenter ad Christi Discipulatum evidenter disponit. Et quidem discurrendo de singulis:

7. Audite quæso necessitatem Religiosæ Paupertatis ex ore Servatoris apud Lucam c. 14.

14. 33. *Omnis ex vobis, qui non renunciat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Divus etiam Legislator S. Augustinus de verb. Apost. serm. 28. ita habet: *Non tibi displiceat paupertas tua, nihil ea poteris ditius invenire. Visus nobis est, quòd locuples sit, cælum enim quibus thesauris conferri possit, quod paupertati videmus indultum? ut ad regnum cælorum veniret, dives possessione suæ obtinere non potuit, nunc obtinet, ut contemptu perveniat.* Et Claudius suo Epigrammate ita modulatur de paup. aman.

Paupertas me sæva domat dirusq; Cupido:
Sed toleranda fames non tolerandus amor.

Item idem ibid. de eod.

Esuriens pauper, telis incendor amoris,
Inter utrumque malum diligo pauperiem.

Ovidius verò in sequens distichon excurrit 2. Remed.

Non habet unde suum paupertas pascat amorem,
Non tamen hoc tanti est, pauper ut esse velis.

Sed missis his, sit vobis in exemplum paupertas Jacobi, Gen. 28. 11. & 32. 10. Moysis, Exod. 3. 1. Ruth, Ruth. 2. 2. Mulieris Sareptanæ, 1. Reg. 17. 10. Elisæi. ℣. 11. Filiorum Prophetarum, 2. Reg. 4. 38. & 6. 2. Tobiæ senioris, Tob. 2. 22. & 4. 23. Duorum filiorum Zebedæi, Matth. 4. 21. Christi, 8. 20. & 21. 1. 2. & 27. 55. Luc. 9. 58. 2. Cor. 8. 9. Josephi, cum Sponsa sua Maria, Luc. 2. 7. 12. 24. La-

zari,

zari, 16. 20. Viduæ pauperculæ, 21. 2. Cæci nati, Joann. 9. 8. Ecllesiæ Jerosolymitanæ, Act. 2. 45. Rom. 15. 26. Petri, Act. 3. 6. Pauli, 1. Cor. 4. 11. Philipp. 4. 12. Paupertas deniquè suis sectatoribus cedit in bonum, nimirùm ad vitæ cælestis meditationem, seriam resipiscentiam, & ad mundi hujus odium, & abrenunciationem meditandam. Veras item divitias non adimit pijs, repositas in conclavi cælesti, ut exemplum Lazari mendici Luc. 16. luculenter docet, hominibusquè omnibus est connata. Nullus enim non hominum, nudus egressus est ex utero matris. Job. 1. 21. Eccles. 5. 15. Inde natum vulgare istud:

Infantem nudum, cùm te natura creârit,
Paupertatis onus patienter ferre memento.

8. Pono culturam paupertatis non in ipsa rerum temporalium privatione potissimum positam esse. Nostis enimverò plurimos maximam victûs, vestitûsvè, ac reliquarum rerum penuriam pati; cujusmodi sunt, qui laceri, & ægroti ostiatim panem mendicant: qui tamen in præsentiarum non recensentur in agmine illo selecto virorum fortium, qui paupertatem JESU Christi colunt, hocquè pactô sublimia petunt. Necessitas enim ibi urget; ast in Evangelicæ paupertatis cultu, electio, spiritusquè laudatur. Quapropter si Christum ab infantia pauperem imi-

imitari seriò cupitis, spiritum à vobis, hoc est: voluntatem, affectumvè requiro, ut scilicet oderitis opes, & corporis commoditates, & Sanctorũ inopiã omni auro pretiosiorẽ, toto corde sectemini. Percipite quæ hortor, & in sapientiam hanc mundo altiorem assurgite. Placeat vobis doctrina hæc abscondita, quæ cordis libertatem, ac desideria cælestia, sub laceris, & hispidis vestibus, mundi despectum creat, & modum illius in humillima Christi schola edíscite. Nè probetis sententiam Monachi apparenter spiritualis, qui nihil sibi deesse cupit, & se pauperem ideò existimat, quòd superflua minimè requirat. Profectò sententia hæc JESU Christi Dei, & Domini nostri sententiæ parum congruit. Si enim necessaria suppetunt, quomodò cultura paupertatis exercetur? Certè Principes orbis terrarum hoc genus paupertatis colunt, si mediocriter pij sint, nam superflua non coacervant, sed quæ personis, statuiquè superfluunt in usus pios impendunt. Quamobrem mirùm est apostolicos pauperes esse velle, qui superflua solummodò rejiciunt. Attendite quæ dico: ille verus paupertatis cultor est, qui necessaria sibi deesse, non modò patienter fert, verùm & cupit. Ille verus pauper est, qui de rebus necessarijs sibi oblatis viliores, minùsquè commodas seligit. Ille seriò paupertatem apostolicam diligit, qui occasiones captat, ut vi-

ctûs

ctûs, vestium, lecti, & aliorum, quæ inter necessaria recensentur, non subterfugiat inopiam, gaudetquè cùm hæc repræsentant derelictionem, austeritatem & incommoditatem. Hæc est schola JESU Christi, qui non habuit, ubi suum Sacratissimum caput reclinaret Luc. 9. 58 Hæc est eruditio eorum, qui gradiuntur viam, quæ ducit ad excelsum Perfectionis montem. Hæc est hæreditas fortium, Christi Discipulorum, mundi contemptorum, qui regnum cælorum rapere (Matth. 11. 12.) omnibus mundi ponderibus exonerati festinant.

9. Quod attinet obedientiam: utiquè illam Deus præfert holocaustis, & victimis. Dicitur enim 1. Reg. 15. 22. *Nunquid vult Dominus holocausta, & victimas, & non potiùs, ut obediatur voci Domini?* Cum ergo hæc præferatur holocaustis, & sacrificijs, meritò in excellentissimo gradu collocari debet. Et nec immeritò *quoniam quasi peccatum ariolandi est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, aquiescere nolle.* ait Propheta Domini Samuel ad Saulem l. c. Hinc meritò suadet Ecclesiastes c. 4. 17. dicens: *Custodi pedem tuum ingrediens domum DEI, & ut audias appropinqua. Multò enim est melior obedientia, quàm victimæ stultorum.* Quod expendens S. Greg. lib. 35. mor. *Obedientia,* inquit, *victimis jure præponitur, quia per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur. Tantò ergo citiùs*

Deum quis placat, quantò ante oculos ejus repressâ, proprij arbitrij, superbiâ gladiô se immolat præcepti. Quocirca ariolandi peccatum inobedientia dicitur, ut quanta sit virtus obedientia demonstretur. Ex adverso enim ostenditur quid de ejus laude sentiatur. Si enim quasi ariolandi peccatum est, repugnare, & quasi scelus idololatriæ, acquiescere nolle, sola obedientia est, quæ fidei meritum possidet, sinè qua infidelis quisq; esse videatur. Quare per Salomonem in ostensione excellentiæ virtutis obedientiæ Prov. 21. 28. dicitur: *Vir obediens loquetur victorias.* Vir obediens, vir fidelis victorias semper loquitur; quia dum voci alienæ subditur, per semetipsum in corde superatur. Apostolus autem Hebr 13. 17. ita habet: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis: ipsi enim pervigilant, quasi rationem, pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim non expedit vobis;* nam *qui resistit potestati* (Rom. 13. 2.) *Dei ordinationi resistit, qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem aquirunt.* Atqueadeò, qui obedientiam seriò colere cupit, omninò sibi persvadere debet se cæcum esse: cùm obedientia sit opus fidei, & eô modô se, dum obtemperat, gerere debet, quô se gerit, dum fidem exercet. Quemadmodum enim dum credit, à Deo articulorum fidei, rationem minimè requirit; ita vir obediens à Superiore rationem mandati nullô modô expe-

tere-

tere debet: ſed certò credere, quidquid præcipitur, cæleſti ſapientia plenum eſſe, quantumvis rationes contrariæ vel à proprio judicio, vel à ſpiritu maligno ſuggerantur. Atquè in hoc ſaluberrimo documento, Chriſti Diſcipulorum maxima obedientiæ pars eſt, quod idcirco Dilectiſſimi Profeſſandi veſtris viſceribus imprimatur, exopto. Certè multarum gentium Pater Abraham Gen. 22. nihil cauſatus eſt, quando juſſit DEUS, ut unigenitum, ac ſvaviſſimum filium ſuum immolaret; cùm res & ſummè difficilis & fortiſſimis rationibus adverſa videretur, ſed omnia vicit præclariſſimô obedientiæ exemplô, quod Monachi omnes Divinæ Authoritati cedentes debent imitari, ac intueri. Satis profectò eſt DEUM eſſe, qui per Superiorem loquitur, ut ſinè diſcuſſione ulla, quicunquè intellectus creaturarum ſe ipſum, multa Divinæ Sapientiæ æſtimatione, ſubmittat. Hoc igitur efficite, & intellectum omni mundi libertate, meliorem in captivitatem redigentes promptiſſima voluntate, quidquid præſcribitur, accipite. Si enim intellectus argumentô fidei flexus, & voluntas ab intellectu benè compoſito directa, concurrant, ampliſſimas obedientiæ victorias, ſupra firmam petram fundati, in cacumine montis Perfectionis Religioſæ collocati, celebrabitis.

10. Quòd verò cæleſtis virtus caſtitas ex natura ſua habeat tale quid, quô nos divinæ viſioni

ſioni aptat, naturam ſuperat, & Angelicis Spiritibus conformat, dubiô omni caret. Quocirca vellem ego Dilectiſſimi Profeſſandi, ut ſolo caſtitatis nomine audito, divinum quiddam, licèt incognitum æſtimaretis, prouti æſtimavit olim ille, *Qui nequaquam aquieſcens operi nefario dixit: quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in DEUM meum?* Gen. 39. Et illa, cujus cor fuerat confortatum, eò quòd poſt virum ſuum alterum neſcierit, merueratquè audire. *Eris benedicta in æternum.* Jud. 15. 11. Et ille, qui aſſerebat omnē ponderationem non eſſe dignam animæ continentis. Eccli. 26. 28 Rurſus & ille qui dicit: *Pudicitia eſt ornamentum nobilium, exaltatio humilium, nobilitas ignobilium, pulchritudo vilium, ſolamen mærentium, augmentum omnis pulchritudinis, decus religionis, minoratio criminum, multiplicatio meritorum, creatoris omnium DEI amica.* Cypr. de 12. abuſion. 2. Amica DEI eſt caſtitas, quia ille amat virgines; elegit Matrem Virginem; tenerè amavit Diſcipulum virginem Joann. 13. 23. ipſum ſequuntur virgines in cælo. Apoc. 14. 4. Plusquam Angelus eſt, qui virgo eſt. DEO conſimilis eſt, qui virgo eſt; ſponſa eſt JESU Chriſti anima talis, quæ poſt ſpurcitias carnis non abit; aureolâ coronabitur in cælo, qui ſatagit eſſe virgo in terris; potius præ alijs jus habet reſurgendi à mortuis, qui non patitur corpus

ſuum

ſuum coinquinari. Quare Evangeliſta acclamat: *Sint lumbi veſtri præcincti.* Luc. 12. 35. Atquè horum trium; paupertatis videlicet, Obedientiæ, & caſtitatis factorum votorum celſitudinem conſiderans Summus Eccleſiæ Paſtor Joannes XXII. exclamat: Paupertas magnum bonum eſt, majus caſtitas, ſed maximum obedientia, ſi illæſa cuſtodiatur! additquè rationem convincentem: quia prima rebus, ſecunda carni, tertia animo, & menti dominatur.

11. His ergo conſiljis Evangelicis Dilectiſſimi in Chriſto Profeſſandi ſpontè vos ſubjicite, eademquè ſollicitè, & ſinè tergiverſatione exequendo, Profeſſionis veſtræ partes explete; hôc namquè modô per facta ſublimia Religioſæ Perfectionis montem glorioſè aſcendetis, ac de virtute, in virtutem progrediemini, ſicquè cùm tempus reſolutionis inſtiterit, & dies æternitatis advenerit, juxta Chriſti promiſſum ſequacibus ſuis factum, vos, qui reliquiſtis omnia, & per voluntariam paupertatem, angelicam caſtitatem, ac promptæ obedientiæ meritum, aliarumquè virtutum inde pullulantium continuum ſtudium ſecuti eſtis me, centuplum accipietis, & vitam æternam poſſidebitis, ac cum Chriſto in omne ævum cæleſtia tabernacula inhabitabitis. Quod, ut eveniat, cordicitùs opto.

EXHOR-

EXHORTATIO II. ad plures.

Venit hora. Joann. 5. 4.

1. ET mihi, & vobis Dilectissimi in Christo Fratres Professandi totis gratulor præcordijs, dum video diem hodiernam non aliam esse illâ, quam vos toto Novitiatûs tempore magnô desideriô expectabatis. Dum, inquam, video advenisse horam, quâ magnô tenebamini tædiô hucusquè. Hodie ortus est sol ille, qui vobis parturivit tempus, quô nuptias celebrabitis animarum vestrarum cum Agno Cælesti. *Sponsabo te mibi.* Oseæ. 2. 20. Dies, dies hodierna est illa, quâ quilibet vestrum singilatim protestari valet coram cælo, & terra, coram Angelis, & hominibus, veluti olim in sinceritate Vir secundùm cor DEI (1. Reg. 13. 14) David protestabatur dicens: *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.* Psal. 115 14. Fiam DEO victima in sacrificium æviternum: Et ideò execror, & abominor omnes mundi immundi vanitates. Abhinc mundo, patriæ, cognatis, familiaribus, amicis, Parentibus (Matth. 19. 29.) fratribus, sororibus, & commensalibus ultimum dico vale. Abhinc Christus in me, & ego in Christo vivam. Galat. 2. 20. Jam, iam arripio iter illud, quod ad felicis æternitatis ducit portum. Nequè uspiam felicior

qui-

quiverat ſupra me cadere ſors (Act. 1. 26.) quàm dum divino cervices valeo conſignare jugo. Matth. 11. 30. Nullum enimverò poteſt dari, aut excogitari majus delicium teſte S. Thoma Vill. ſerm. 2. Dom. Quadr. hôc: operas Deo locare: nequè Religioſo juxta eundem Conc. 3. de Aſſ. B. M. V. primarias inter occupationes poteſt eſſe alia, quam, ut requieſcat in DEO ſuo, illôquè omnibus diebus vitæ ſuæ delectetur. Quamobrem: *Vota mea Domino reddam coram omni populo ejus.* Intentionem veſtram ſanctam approbo, & laudo, quia felix oraculô Seraphici Iacoponi proclamatur tantùm ille, qui potuit contemnere mundum. Aſt ſubſiſtite pauliſper, & mente, ac corde penſiculatiùs ruminate, quidnam ſit DEO ſe Religioſis obſtringere votis? ego verò de hoc breviter inſinuabo. Favete.

2. Solemnibus in Religione DEO ſe obſtringere votis, nihil aliud eſt, quàm mundi penitùs abrenunciare vanitatibus, & totaliter mancipari ſervitio DEI, per paupertatem, obedientiam, & caſtitatem; per quæ tria, eſt, in corde funditùs anihilare mundum. Nam quemadmodum juxta effatum dilecti Domini Diſcipuli 1. Joann. 2. 16. *Omne, quod eſt in mundo concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ:* ita hoc totum tollitur per vota Religi-

ligiosa. Ac imprimis per castitatem Angelicam tollitur, annullatur, & destruitur *concupiscentia carnis;* per volutariam paupertatem evertitur *concupiscentia oculorum;* per obedientiam cæcam fugatur, proteritur, & quasi quodammodò calcatur *superbia vitæ.*

3. Castitas Angelica facit hominem idoneum, & expeditum ad peragendas res pergrandes & omnium ore miras proclamandas. Et illa ipsa est, secundùm Joann. Clim. gr. 15. habitaculum illud, in quod Christus Dominus libentissimè declinat. Hinc S. Isid. Pelus. lib. 3. epist. 75. meritò infert: *Pulcherrima oblatio est, devotam mentem, & carnem impollutam habere.* Quare qui in castitate vivere satagunt, hi reciprocè par turturum, aut duos pullos columbarum (Luc. 2. 24.) quotidie O. offerunt DEO. Talem victimam olim obtulit illa, quæ dixit intrepido, & plusquàm virili corde. *Meliùs est mihi incidere absquè opere in manus hominum, quàm peccare in conspectu Domini* Dan. 13. 23. Eapropter Domini Propheta: *Non fornicaberis, & non eris cum viro, & ego expectabo te.* Oseæ 3. 3. Et alius Propheta: *Contemplare viam, conforta lumbos, robora virtutem valdè.* Nah. 2. 1. Et Paulus Eph. 5. 3. *Fornicatio autem, & omnis immunditia nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos: aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurilitas, quæ ad rem non pertinet.* Ergo: *State succincti lumbos vestros.* ibid. c. 6. 14.

Nam:

Nam: *Hæc est voluntas DEI sanctificatio vestra, ut abstineatis vos à fornicatione. ut sciat unusquisquè vas suum possidere in sanctificatione, & honore.* 1. Thess. 4. 3. 4.

4. Vita Religiosa est illa vinea, quam Dominus Matth. 21. 33. plantavit per Sanctos memoratæ vitæ Fundatores: vites hujus vineæ sunt Monasteria omnia, palmites Religiosi omnes, quos Christus Dominus singulari gratia ad hanc vineam (Matth. 20. 4.) vocavit, & elegit, ac posuit, ut eant, & fructum afferant (Joann. 15. 16.) & fructus illorum maneat: ut quodcunquè petierint Patrem in nomine suo, det eis. Putavit ille hos palmites ex fructibus spurijs, & minùs necessarijs; quando mundanas speraverunt voluptates; sicquè statim in Novitiatu florescunt, dum ad harum volutabrum nequaquam cogitant, redire. Et hæc est vita felicissima, contemnere mundi fallacias, & insanias falsas; non credere mundo, magna pollicenti; ast potiùs cogitare maximum esse damnum, æternum pati: Non fidere mollia spondenti, quia fallit; & alioquin molle non debet censeri, quod flammis cremantur non morituris; Non famulari mellea promittenti; quia sunt verè fellea, quæ mellea dicit. Hæc est, inqam felicissima vita, despicere illum, qui aliud promittit, & aliud intendit; qui promittit rosas, & dat spinas: deniquè qui ipsâ miseriâ, miserabilior est. Quare Aug. lib. de agon.

christian. *Quis potest,* inquit, *judicare, ut vita sit felix in illis rebus, quas, ut contemnat homo, ipse docuit Christus.* 1 Joann. 2. 15. Et non sinè emolumento tam æviterno, quam temporali. Non sinè emolumento æviterno; nam Christus Dominus Matth. 5. 3. dicit: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Simili modo non sinè emolumento temporali: enimverò affirmante S. Laurentio Just: de paupert. c. 4. Nihil potest esse melius paupertate, nihil securius, nihil jucundius: tristentur, gemant, timeant cuncti, paupertas semper jucunda, semper immutabilem repræsentat vultum. Semper, & identidem replicat cum Jeremia confidenter: *Pars mea Dominus.* Thr. 3. 24. Et cum Hymnopæo Coronato: *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei.* Psal. 15. 5. Et Psal. 72. 25. 26. *Quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: DEUS cordis mei, & pars mea Deus in æternū.* Sic fundata, sic stabilita paupertas omnia habet, omnia possidet, omnibus abundat, in nullo penuriam patitur.

5. Voluntati suæ renunciat; judicium suum conformat judicio Superiorum suorum, illis in omnibus promptè, & sinè omni tergiversatione obtemperat, illos veneratur, & æstimat, neque contradicit etiamsi quid difficillimum, & minùs consentaneum rationi mandarent quandoquè exemplò Servatoris, qui per omnia fuit obedi-

bediens Patri uſquè ad mortem, mortem autem crucis. Philipp. 2. 8. Scit enim perbellè, meliorem eſſe obedientiam, quàm victimas. 1. Reg. 15. 22 Nam per victimas aliena caro mactatur teſte Greg. l. 35 per obedientiam verò proprium genium jugulatur. Scit amicos illos fore DEI (Joann. 15 14.) qui fecerint, quæ præcipit ille. Scit. quòd illa ſola teneat palmam, inobedientia verò pœnam. Aug. Pſal. 70. teſte. Scit nihil ſe eſſe majus, & nihil inobedientiâ pejus, eodem ad Fratres in Eremo docente. Scit Jonam inobedientem à piſce abſorptum (Jon. 2. 1.) & Saulem (1. Reg. 16. 23.) à dæmone correptum eſſe. Scit, quòd eſtò dormiat, vigilet, taceat, loquatur, operetur, quieſcat, meritô non careat, ſi iſta ex imperio ſui peragat Superioris. Verbô: ſeriò ſe reflectit ad illud quod DEUS dicit. Gen. 12. 4. & 18. ℣. 5. 23. & 22. 1. & 26. 5. Exod. 1. 17. & 15. 26. & 19. 5. & 20. 6. & 23. ℣. 22. 25. Leu. 20. 22. & 26. ℣. 3. 11. Deut. 4. 40. & 13. 4. & 17. 15. & 24. 8. & 27. 10. & 28. ℣. 1. 12. Jos. 22. 1. 1. Reg. 12 14. & 15. 22. 2. Reg. 10. 30. 2. Paral. 7. 17. Prov. 1. ℣. 8. 33. & 15. 31. Jſa. 1. 19. & 48. ℣. 18. & 55. 2. Jer. 7. 25. & 11. 4. & 17. 24. Dan. 3. 16. Eccli. 35. ℣. 7. 2. Machabeor. 7. 30. Matth 4. 19. & 7. 24. & 8. 21. & 15. 3. & 17. 5. & 15. 3. Luc. 5. ℣. 4. & 10. ℣. 16. Joann. 2. ℣. 7. Act. 4. ℣. 19. & 5. 32. Rom. 16. 19. Philipp. 2.

 ℣. 8.

℣. 8. 12. 1. Theſſ. 4. ℣. 3. & 5. ℣. 18. 1. Petr. 1. 22. Jacob. 1. 22. Nequè poteſt dari efficatius antidotum ad reparandam naturam humanam, quàm ab alterius nutu pendere, alterius juſſa exequi, alterius mandata implere. Nam quemadmodum ceciderat homo voluntatem propriam ſequendo; ſic neceſſe reſurgat, arbitriô alienô. Et quemadmodum eſt prævaricatus per inobedientiam; ſic requiritur, ut ad gratiam per obedientiam admittatur juxta effatum S. Laur. Juſt. de vict. obed. c. 1. Lign. vitæ.

6. His ergo tribus votis, velut tribus clavis affiguntur quodammodò, Chriſti Domini Cruci, Religioſi ſpontaneè & liberè; & affiguntur non ad unam tantùm, aut alteram diem, non ad unum tantùm, aut alterum menſem, non ad unũ tantùm, aut alterum annum, ſed pro tota, uſquè ad ultimum halitum, vita, ut ampliùs carni, ſanguini, & mundo non vivant, ſed Chriſto, ut ſecundùm ſpiritum moriantur ſemper, & vitam tantùm in ſolo habeant DEO. Atquè hæc conſiderantes Dilectiſſimi in Chriſto Fratres Profeſſandi! accedite jam nunc ad reddenda vota veſtra DEO. Mementote totâ vitâ veſtrâ, quàm exactiſſimè illa obſervare. Quod, ſi feceritis, Omnipotentiſſimus DEUS, æterna vos cumulabit mercede.

EXHOR-

EXHORTATIO III. ad unum.

Vovete, & reddite Domino DEO vestro, omnes, qui in circuitu ejus affertis munera. Psal. 75. 12.

1. QUid animô concipis Dilectissime in Christo Professande! cum DEUM audis? DEUS est, qui est, fuit omni tempore, occupat omnem locum, scit omnem veritatem, possidet omnes perfectiones, fruitur omni bono. DEUS est, cui omnis Dominus servit, omnis Princeps subijcitur, omnis Rex subditur, omnis Imperator cogitur obsequi. DEUS est Dominorum Princeps, Principum Rex, Regum Imperator. DEUS est omni nostro cogitatu major, omni bono melior, omni perfectione perfectior, omni excellentia excellentior. DEUS est omniscius in sapientia, infinitus in bonitate, immensus in præsentia, sempiternus in æternitate.

2. Quis sicut Dominus DEUS noster? quis in essentia, quæ est essentiarum Pelagus? quis in existentia, quæ est necessaria, independens, æterna? quis in Trinitate; quia Pater, & Filius, & Spiritus S. Unus est DEUS? quis in æternitate, quæ est principium sinè principio, finis sinè fine? Omnia mutans, semper idem? Quis in omnipoten-

potentia, quæ omnia creat; ſuſtentat, gubernat? DEUS eſt, qui omnibus dat omnia (1. Cor. 4. 7.) & nihil minuitur de ærario ejus, inexhauſtus eſt enim theſaurus gratiarum, beneficiorū, & favorum illius, nihilquè accipit, dum univerſa noſtra in manus ejus conſignamus: nam nil, quod in ante ille non poſſideret jure ſuo altiſſimo dare valemus.

3. Tali, ac tanto Domino, ut luce hodierna, emensô jam Novitiatûs tui curriculô, conſummatis annuæ Probationis diebus, vota tua reddas, acclamat, & hortatur Coronatus Propheta: *Vovete, & reddite Domino DEO veſtro, omnes, qui in circuitu ejus affertis munera.* l. c. Atqueadeò per omnes creaturas, tamquam per ſcalas aſcende ad Creatorem, illas contemnas, ut hunc ſolum facias lucri. Modò verò quid ſit vovere? pauliſper animadverte: ego, pace tua, brevibus indicabo.

4. Vovere nihil aliud eſt, quàm quidpiã ſanctè promittere DEO. Quoniam verò ea, vehementer deſideramus, quæ votô ab Omnipotentiſſimo DEO poſcimus, fit, ut quandoquè pro deſiderio capiatur: unde voti compos, qui deſiderium ſuum eſt aſſecutus ore omnium proclamatur. Hinc devoveo, hoc eſt, deſtino, imprecor. Hinc devotum, quod modò ad proſperum, modò ad adverſum refertur. Votum hebraicè dicitur *Nadber*, id eſt, votum liberum,

quod

quod quis sponte, & libera voluntate promittit: à verbo *Nadher*, vovit donum, fecit votum de aliquo munere dando. Cognationem habet cum *Detur*, id est, libertas: nam votum, est, quod de libera procedit voluntate. Est autem votum alicujus boni, cum deliberatione, DEO facta promissio. Ceu, ut Richardus 2. dist. 38. art. 3 inquit: *Votum, est propositi supererogantis promissio DEO facta propter bonum finem, ex deliberatione firmata.* Quare Poeta Antholog. Sac. Jac. Bill.

Quid voveat Domino quisquis bene corde volutat;
Ipsum se totum præparet, & voveat.

Item *votum* secùndùm S. Thomam 2. 2. quæs. 88. art. 1. *dicitur à voluntate, quasi à primo movente rationem, ad promittendum.* Rursus juxta eundem Angelicum, Quintumquè Ecclesiæ Doctorem: *Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ debet fieri DEO de his, quæ DEI sunt.* ibid. Hoc votum vel sola mente, veel etiam expressione verborum perfici solet Iam autem voventur aut, quæ ad omnium hominum salutem sunt necessaria, qualia sunt, quæ voverunt singuli fideles Sacrum suscipientes Baptisma, aut quæ neutiquam à DEO præcepta sunt (de quibus D. Legislator Aug. & hab 17 qu. 1. c. *Sunt quædam*, inquit, *Sunt etiam quædam, quæ non voventes debemus, quædam etiam, quæ nisi voveri-*

mus, non debemus: ſed poſtquam ea Domino promittimus, neceſſariò reddere conſtringimur) ſed tantùm admodùm utiliorum cuiquè conſuluntur, de quibus iterum D. Aug. in Pſal. 75. ibid. dicit: *Alÿ vovent, & ipſi experti conjugium, ultra nîl tale pati, nîl tale concupiſcere, aut ſuſtinere, & ipſi voverunt aliquid majus, quàm conjugati. Alÿ virginitatem ipſam ab ineunte ætate voverunt, ut nihil tale experiantur, quale illi experti ſunt, & iſti voverunt plurimùm. Alÿ vovent domum ſuam eſſe hoſpitalem omnibus ſanctis advenientibus, magnum votum vovent. Alius vovet omnia ſua diſtribuenda pauperibus, & ire in communem vitam, in ſocietatem ſanctorum magnum votum vovit.* Revera magnum eſt, ſe, ſuaquè omnia, exemplô Apoſtolorum, DEO devoviſſe. *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Matth. 19. 27. Atquè hoc DEO reddere, & vovere, eſt, in quo ſummopere complacet ſibi DEUS. Nam proteſtatur ibid. ℣. 29. & 30. *Amen dico vobis, quòd vos, qui reliquiſtis omnia, & ſecuti eſtis me, in regenaratione, cùm ſederit Filius hominis in ſede majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes duodecim tribus Iſrael. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.*

5. Aſt quum DEUS infidelem, & ſtultam (Eccl. 5. 3.) adeò execretur promiſſionem,

omnes

omnes adhibendæ vires, idquè cumprimis, ut exactè cognoſcatur, quod intenditur vovendum. Enim verò ſanæ repugnaret rationi, ad id ſe obligare, quod alias nec primam tetigerat mentis operationem, quodquè prævaricatum æternâ animam inurit notâ. Nequè etiam vovens propriis fundetur in viribus. Inquit enim D. Cyrillus l. 9. c. 28. in Joann. *Non oportet quidquam DEO à nobis promitti, ut certum, quaſi nos Domini rerum eſſemus, partim quia quod poſſe à nobis fieri credimus, vires noſtras nonnunquam excedit, partim, quia non ſinè arrogantiæ crimine hoc nos, aut illud facturos dicimus: illud enim in omnibus, quæ agere volumus dicendum eſt, quod diſcipulus Chriſti nos docuit:* ſi Dominus voluerit. Jac. 4. 15. Et rectè nam voluntas, apparatusquè animi nobis ſemper ineſſe debet, vim autem, facultatemquè agendi, quâ ad ultimùm usquè caremus, ſit nefas attribuere nobis. Hic Præſul Hypponenſis S. Aug. in Pſal. 15. Canon. 11. Conc. Araus. ſubinfert: *Deficietis, ſi de viribus veſtris præſumatis. Si verò de illo, cui vovetis, vovete ſecuri, reddetis.* Adhæc ante omnia animadvertendum eſt de mediis oportunis, ad votum effectuandum, ac præprimis an adſit pia voluntas, expeditaquè ad illud animi intentio, *nè poſteaquam* quis *poſuerit fundamentum, & non potuerit perficere, omnes, qui vident, incipiant illudere ei, dicentes: Quia hic homo cæpit ædificare, & non potuit conſummare.* Luc. 14 29 30.

6. Votorum quædam alia sunt (missis reliquis voti divisionibus) simplicia, & consistunt juxta P. Anacletum Reinfen. Tract. 6. de Hor. Can. Iurament. & voto, Dist 3. quæs 1. Conc 2. fol. 177 n. 8. in nuda & simplici promissione DEO facta sinè alia solemnitate: alia privata, quæ mente tantùm vel in abscondito fiunt: alia solemnia, quæ solemnizantur per susceptionem Sacri Ordinis, aut per Professionem Religionis ab Ecclesia approbatæ ut dicitur cap. un. de Voto in 6. Et tale votum solemne, est votum perpetuæ castitatis Ordinibus Sacris annexum: quò pariter spectant tria vota substantialia Religionum, nimirum obedientiæ, paupertatis, & castitatis, & si quæ alia sunt vota Religionum approbatarum. Unde non ex eo votum solemne differt à voto simplici, & privato, quod hoc sit factum privatim, aut mente, vel in abscondito, illud publicè, seu palàm in conspectu Ecclesiæ; cùm è contra possit accidere: sed ex eo, quòd votum solemne solemnizetur per susceptionem Ordinis Sacri, vel Professionem Religiosam, ratione cujus aliquis magis se ponit in potestate Ecclesiæ, quantùm ad materiam voti; hoc quippe non fit in voto simplici, & privato, cùm ob id Ecclesia non accipiat majorem potestatem in sic voventem, sicut vi voti solemnis accipit in Clericos in Sacris constitutos, ac in Religiosos sole-

mniter

mniter Professos: quâ de causâ hos ad matrimonium expostfactù contrahendum illegitimavit Ecclesia, non autem contrahentes cum simplici, & privato voto castitatis, sed illos reliquit DEI judicio, ut inquit Scotus 4. dist. 38. qu. un. & alij passim Doctores.

7. His ergo consideratis, perpensis, & trutinatis, accede jam Dilectissime in Christo Frater Professande: ad reddenda vota tua Omnipotentissimo DEO. Dic vale ultimum mundo, & omnibus pompis ejus. Non te retrahat amor Parentum, fratrum, sororum, cognatorum, & amicorum, quò minùs te servitijs mancipes Divinis. Promitte DEO Obedientiam, quâ tuis Superioribus obedias simpliciter absquè discussione, humiliter absquè præsumptione; fortiter absque timore, alacriter absquè tergiversatione perseveranter absquè cessatione memor effati S. greg. qui 35. Moral. inquit: *Obedientia sola est, quæ virtutes cæteras menti inserit, insertasquè custodit.* Vove Paupertatem, quâ relinquas bona temporalia, caduca, & peritura, ut accipere valeas æterna, permansura, vera: quâ nihil sinè facultate Superioris aut recipias, aut des, nihil superfluum retineas, nulla re, tamquam propria utaris, vilissima in ijs, quæ conceduntur, eligas, carentiam necessariorum æquô animô supportes, quia tales sunt: *Sicut egentes, multos autem locupletantes: tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.*

dentes. 2. Cor. 6. 10. Et aliunde *Pauper in cella, dives in conſcientia ſecurior dormit in terra, quàm aurô dives in purpura* V. Bed. in 2. Cor. teſte. Quare nonnemo: Utinam omnes hujus mundi theſauros haberem! non, ut poſſiderem, ſed, ut propter DEUM relinquere valerem. Vove inſuper caſtitatem, & ſcias perfectam non eſſe caſtitatem, nisi votô firmetur perpetuô. Enimverò inquit D. Aug. c. 8. de S. virgin. *Non ipſa, quia virginitas eſt, ſed quia DEO dicatur, honoratur, & licèt in carne ſervetur, ſpiritus tamen religione, ac devotione ſervatur, & per hoc ſpiritualis eſt etiam virginitas corporis, quam vovet, & ſervat continentia pietatis.* Porro:

8. Caſtitas Religioſorum eſt, quâ non ſolùm corpus à pollutione carnalis concupiſcentiæ cuſtoditur, ſed, & anima ab hujsmodi concupiſcentia munda ſervatur, exemplô Saræ Tob. 3. 16. 17. *Tu ſcis Domine, quia nunquam concupivi virum, & munda ſervavi animam meam ab omni concupiſcentia. Nunquam cum ludentibus miſcui me, nequè cum his, qui in levitate ambulant, participem me præbui. Donum ergo perfectæ virginitatis* (inquit D. Baſilius ſer. de inſtit. Monac. ſer. 7. *non ſolùm in eo conſiſtit ut progignendis liberis operam non det, ſed ut quis id rectè aſſecutus dici poſſit victus ipſe omnis, vita quoqvè, omnisquè animi, ac morum conformatio virginitatem ſervent oportet, nullumquè in eo ſtudium eſſe debet, in quo non perpetuò cælibis*

inte-

integritatem præseferat. Siquidem fieri potest, ut quis etiam sermone scortetur, & oculis adulter sit (Matth. 5. 28.) *& auditu polluatur, & cor inquinandum præbeat, immodicèque edendo, bibendo, potando, temperantiæ finibus egrediatur. Qui enim adhibitâ in his temperantiâ se intra virginitatis limites continuerit, verè hic se absolutissimum virginitatis donum habere declarat.* Quare Aug. in Reg. monet: *In incessu, statu, habitu, in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Oculi vestri, & si jaciantur in aliquam fæminarum, in nullam figantur.* Nec *dicatis vos habere animos pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia impudicus oculus, impudici cordis est nuncius.*

9. Atquè hæc sunt tria Religiosa Vota, quæ memineris, promissa, per totam vitam in nullo labefactes, ut audire dignus sis illud, quod Matth. 25. 21. Servator dicit: *Euge serve bone, & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam, intra in gaudium domini tui.* Quod, ut suum sortiatur, effectum, animitùs precor.

EXHOR-

EXHORTATIO IV. ad plures.

Quæ ſanctificaveris. & voveris Domino, tolles, & venies ad locum, quem elegit Dominus, & offeres oblationes tuas. Deut. 12. 26. 27.

1. JAm ſuum annus finivit curſum, aquò Dilectiſſimi in Chriſto Fratres Profeſſandi ſpretis mundi immundi pompis (1. Joann. 2. 16.) egreſſi de terra veſtra (Gen. 12. 1.) & de cognátione veſtra, & de domo Patris veſtri, veniſtis in terram, quæ monſtrata eſt vobis, per ſpecialem inſtinctum Spiritûs S. aquò inquam, veniſtis ad locum, Statum videlicet Religioſum, *quem Dominus* ſibi *elegit;* hinc nihil reſtat, quàm ut vota veſtra Omnipotentiſſimo nuncupetis DEO. Magna quidem promittetis, ac multa dimittetis; majora tamen, ac plura promittendo, & dimittendo recipietis: dimittetis terrena, corporalia, temporalia, & recipietis divina, ſpiritualia, æterna: dimittetis Patrem unum, Matrem unam, germanos, ac ſorores paucas, ſubditos, atquè famulos non multos, & recipietis tot Patres, & Matres, Fratres, Sorores, famulos, & ſervos, quotquot membra numerat Ordo univerſus. Vivetis puriùs cadetis rariùs, ſurgetis

velo-

velociùs, incedetis cautiùs, irrorabimini frequentiùs quiescetis securiùs, morremini confidentiùs, purgabimini citiùs, ac deniquè præmiabimini copiosiùs. Eritis sub tutela peculiariter supremi Regis, atquè ab eo quàm intimè, ac familiarissimè adhibebimini. Est enimverò Omnipotentissimus DEUS beneficus in omnes, specialiter tamen in suæ familiæ filios.

2. Magna revera isthæc felicitas est, filiũ esse in Domo DEI cum votorum compedibus. Religiosus simul servus, & filius est: servus est, quia ad Religionis officia conductus est (Matth. 20. 4.) Filius, quia ut talis à DEO amatur, à quo conductus est. Matth. 12. 49. Et nequè vos Dilectissimi in Christo Fratres Professandi Vota solemnia emisisse, pænitebit uspiam (si sapietis) ast gaudebitis vobis non licere, quod cum detrimento vestro licuisset Et alioquin felix illa necessitas est quæ ad meliora (1. Cor. 7. 38.) compellit, atq; adeò lucrativum negotium est vota emittere, & suas actiones multipliciori bonitate condecoratas DEO reddere; quodlibet namquè bonum opus ex voto factum non unam, sed plures habet bonitates: castitas V. G. ex voto oblata, non solùm est Castitas, sed simul & Castitas; & Fidelitas, & Religio &c. Ut igitur prænominata vota, Paupertatis videlicet Obedientiæ, & Castitatis tanto alacriori (2. Cor. 9. 7.) promptiori, & fortiori. DEO

vestro,

vestro, animo reddatis, breviter de ijsdem disserentem audite.

3. Quoniam in Paupertate primus est gradus perfectionis, qui in externis abdicandis (Mar 10. 21.) consistit, hinc primò etiam de illa discursum formanti extemplò occurrit Climacus, qui gradu 17. ita inquit: *Paupertas est abdicatio solicitudinum sæculi, iter ad DEUM sinè impedimento, expulsio omnis tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ, quæ nos liberat curis omnibus vitæ transeuntis, & facit, ut DEI mandata perfectè exequamur.* Atquè pro parte paupertatis Cherub. ille Marianus, & Seraphicus Doctor D. Bonaventura compilaverat olim volumen, quod Apologiam pauperum voluit intitulatum, ubi non modo ejus utilitatem, ast & necessitatem impensè commendat. Ita enim argumentatur: *Radix omnium malorum* (1. Tim. 6. 10.) *est cupiditas. Ex hac enim, simul & ex superbia, quæ huic cupiditati semper comes est, omnia scelera originem, fomentum, incrementum accipiunt quam ob causam civitatis illius Babylonicæ fundamentum ab Augustino appellata est. Atquè hæc cupiditas in mentis quidem affectu, quasi in subjecta materia est infixa, sed tamen alimentum, ac pabulum sumit ex rebus extra possessis, quam ob causam necesse fuit, ut perfecta ejus extirpatio utrumquè complecteretur, ut non solùm interior illa sitis, sed etiam externa rerum possessio abdicaretur: quorum alterum volontate tantùm, & spiritu, alterum*

verò etiam opere, & factis præstatur. Ex quo inferendum autumat, quòd sicut vitium illud totius Babylonis perversæ fundamentum, radix, & origo fuit, sic è contra paupertatem jure merito proclamandam genuinum, & verum fundamentum totius perfectionis Evangelicæ, quâ Servatori nostro tamquam exemplari (Heb. 8. 5.) configuramur, quod patet vel inde; nam cùm idem Dominus noster, posteaquam primum cælum, & prima terra (Apoc. 21. 1.) abijsset, & mare jam non esset, novæ Ierusalem descendentis de cælo à DEO, paratæ sicut sponsæ ornatæ viro suo, lapidem supponeret angularem (Psal. 117. 22.) ab eadem, tamquam à fundamento cæpit: *Beati*, inquiens, *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 5. 3. Et sanè:

4. Enimverò si pensiculatiùs consideremus, certè inveniemus paupertatem omnium scelerum, ac vitiorum destructivum esse. Nam destruit, evertit, & supplantat, ac proterit non tantùm arrogantiam, fastum, ac superbiam, & alia quàm plurima, & innumera vitia, quæ ex affluentia tamquam fumus ex foco, & rivus ex scaturigine originem ducit, sed etiam peccandi facultatem tollit; cùm præcipua pars peccatorũ, quibus maculatur vulgus, facultatum temporalium ergo, perpetretur. Atqueadeò si nullam rationem boni haberet paupertas, hôc solô gloriaretur contenta, quòd benè vivendi subtrahet

habenas, cujus necessitati submittere collum, & cervices, tantùm utile est, quantùm necesse.

5. Et nequè tantùm vitijs viam præcludit, ast etiam virtutes inserit omnes, uti temperantiam (missis alijs) modestiam, & vel maximè humilitatem, quæ quoniam paupertati valdè finitima est, hinc meritò soror illius germana nominari potest, prouti defactò à nonnullis appellatur. Patet hoc ex illo, quod Aureus Doctor S. Joannes Chrysost. hom. 1. in Epist. Hebr. adducit: *Christianus in paupertate magis irradiat, quàm in divitijs, quô modô? quia excludit à se superbiæ typum: non erit arrogans. sed potiùs obediens, pudicus, mitis, & sapiens. Qui verò in divitijs est, multa sunt, quæ illũ bene agere impediunt. Inspiciamus ergo, quæ agit dives. Rapit aliena, æstuat cupiditate, libidini fræna laxat, maleficia cuncta committit. Nonnè hæc ex divitijs vides generari? Vides etiam quomodò in paupertate faciliùs virtutes possidemus? Nec mihi dicas divites in hac vita à nullo plecti. Prorsus enim inter omnia mala alia hoc etiam malum habent divitiæ, quòd eos, qui peccant, tuentur, ac muniunt ita, ut licentiùs peccantes, nullâ pœnâ revocentur, nec ullus eis frænũ imponat.* Ita nominatus Doctor.

6. Paupertati, de qua hucusquè continuavi discursum, proximam, dum dicam Castitatem, minimam incurram crysim, cujus æquè majora sunt commoda, quàm paupertatis, quò & corpus interius est, præ divitijs, & ejus fomes

mes tum incendio excitando periculosior, tum, nisì vis vî repellatur, damnosior, hunc autem extinguit Castimonia, cujus partis est unicuiquè in memoriam revocare, qualiter meminerit (1. Thess. 4. 4.) in sanctificatione possidere vas suum, id est, ut Cassianus l. 6. cap. 15 advertit, carnem suam, quæ est tamquam vas, & domicilium animæ. Tanta verò Castitatis est utilitas, quantæ turpium voluptatum fæditates, & damna. Ast cùm ejusmodi voluptatum duplex sit genus, unum licitum, alterum neutiquam, primum est intra limites matrimonij permissum 1. Cor. 7. 28. de secundo nihil est, quod dicam, præterquam quòd, *qui talia agunt*, ut Doctor Gentium inquit Galat. 5. 21. *regnum DEI non consequentur*, imoverò: *pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure: quod est mors secunda.* Apoc. 21. 8. Illud tantùm animadvertendū, quàm forte opponat Religio pectus contra libidinum phalanges, quas ille Leviathan instruere solet, cujus *halitus prunas ardere facit.* Job. 41. 12. ut illas tantò faciliori extinguamus modo. Primum ergo præsidium illud sit oportet, quòd totamquantam hujus foci materiam à sensibus nostris procul rejiciat, videlicet aspectum, colloquia, consvetudines, familiaritates, & signanter commoditatem, ac facultatem, quæ nata est magno peccandi incitamento. Hæc enimverò machinæ quædam sunt, quæ sæpesæpiùs etiam

validissima genia adeò oppressêre quòd *qui olim* jam *nutriebantur in croceis, stercora sint amplexati*. Thren. 4. 5. Atqueadeò nullum conducibilius remedium, quàm illum loci apprehendere angulum, qui has spurcitias exosas, novit habere. Nam prudenter Aurelius ille Augustinus serm. 250. de temp. observat, quòd Paulus 1. Cor. 6. 18. alijs cæteroquin vitijs repressalia danda, fornicationem verò autumet planè fugiendam: quam ille fugam non solùm non turpem, ast etiã sumoperè commendabilem esse affirmat, partim exemplô castissimi Joseph, *qui etiam relictô palliô* (Gen. 39. 12) *fugit, & egressus est foras*, partim Sapientis suasu, qui Eccli. 9. 8. 9. inquit: *Averte faciem tuam à muliere compta, & nè circumspicias speciem alienam; propter speciem mulieris multi perierunt: & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Plura etiam adducit in hanc materiem, præcipuè tamen Davidis fatalem casum, qui uno oculi jactu intoxicatus, tantus vir, tantusquè Propheta æviternam posteritati, reliquit cautelam. *Accidit, ut surgeret David de strato suo post meridiem, & deambularet in solario domus regiæ: viditquè mulierem se lavantem, exadversò super solarium suum: erat autem mulier pulchra valdè. Misit ergo rex, & requisivit quæ esset mulier. Nunciatumquè est ei, quòd ipsa esset Bethsabee filia Eliam, uxor Uriæ Hethæi Missis itaquè David nuncijs, tulit eam, quæ cùm ingressa esset ad illum, dormivit*

cum

cum ea: ſtatimquè ſanctificata eſt ab immunditia ſua: & reverſa eſt in domum ſuam concepto fœtu 2. Reg. 11. 2. & ſequ. Hinc adhortatur: *Nemo ſe falſa ſecuritate decepiat, nemo de ſuis viribus periculosè præſumat; ſed audiat Apoſtolum dicentem:* Fugite fornicationem. Atquè hæc laudabilis, multumquè commendabilis fuga anchorâ ſpei potitur in Religione, quæ nos nonmodò à turba mundanorum ſegregat, ſed inſuper in propugnaculo quaſi inexpugnabili ponit aſylli. Unde ſalutariter ille, ut refert Poſſidonius Calamenſis Epiſcopus, non tantùm alienarum à ſanguine proprio fæminarum, aſt ſuæ etiam ſororis, & fratris filiæ ſubterfugiebat familiaritatem, non ita gratiâ illarum, quàm reliquarum, quæ earum conſvetudine gaudebant.

7. Modò reſtat, de Obedientia quidpiam videamus. Utiquè hæc major eſt, ſecluſa omni controverſia, Paupertate, & Caſtitate, conſideratâ illius præſtantiâ, uberrimô meritô, ac multiplici fructu. Et quidem præſtantia illius vel inde ſumitur, quòd in Sacro Codice adeò commendetur, ut appareat majoris eſſe apud DEUM, quàm ſacrificia & holocauſta, ceu opera quæquæ ſalutifera, & pia. 1. Reg. 15. 22. Hinc manifeſtum eſt, luceque clariùs conſtat, vitam Religioſam tantò nobiliorem eſſe ſæculari, non ſolùm quæ in vitijs nutritur, ſed etiam quæ virtutibus ſtipulatam dedit. Etenim quod huic

pretium est, ut nullam sinè bono opere mittat diem, hoc tamen inferioris pretij est, illâ perfectâ, & integrâ, quae fit per obedientiam, sui ipsius oblatione.

8. Atquè hanc praestantiam comitatur meriti ubertas. Enimverò, plures sunt, qui benè agere student; ast arbitratûs, genijquè proprij suasu, illi tantùm meriti reportant, quantùm per se eorum rectè factorum, pretium, & dignitas secumfert. Obedientia verò hunc insuper quaestum affert, quòd, & quae jam boni induêre naturam, meliori superinduantur veste, & quae suaptè inter reliqua numerari nequirent tamen ab illa lumine accommodato mirifice illustrantur, fiuntquè acceptissima DEO. Quod, amabo, opus tam leve, ac vulgare, quàm corpus reficere cibô, animum deambulatione relaxare, & similia ejusmodi generis facere? attamen haec si imperiô fiant Superioris, apprimè chara sunt DEO. Eapropter optimè quidam Obedientiam virgulae cuipiam comparârunt, ea vî praeditae, ut quidquid contingat, in aurum convertat, quare non solùm argentum, aut si quid tale pretiosum est, pretiosius faceret, ast etiam lignis, & lapidibus, qui per se nihil valent, aestimationem intrinseci valoris conferret.

9. Quodsi verò fructus ejus indagare velimus; certè illud sufficiet abundè, quod Greg. 35. Moral. c. 19. adfert: *Sola virtus est obedientia,*

tia, quæ virtutes cæteras menti inſerit, inſertasquè cuſtodit. Et hoc fit modis duobus. Inprimis: nam iſthæc hominis liberalitas in DEUM, quâ ſeipſum illi donat, DEI viciſſim liberalitatem, ac munificentiam elicit. Cùm enim ea ſit DEI bonitas, & natura, ut nunquam ſe amore, largitate, officijs vinci patiatur, utiq; rectè infertur: qui ſinè ulla reſtrictione ſeipſum, & omnia ſua DEO tradidit, eidem viciſſim DEUS ſe quoquè ipſum, & ſua omnia ſpiritualia bona, tradit, communicat, concedit. Deindè, quia in ipſomet uſu, praxiquè obedientiæ deneceſſe aliarum quoquè virtutum opera concurrunt; nam hocipſô, quòd alteri homini propter DEUM obeditur, exercetur ſimul humilitas, & quidem non poſtremum adferens emolumentum, quæ nos ei ſubjicit, quæ natura æqualis, ſæpè etiam alijs rebus eſt inferior; exercetur patientia in malis tolerandis, quæ ſenſui, ac voluntati contrariantur. Item fides, propterea, quòd DEUM, quem non videmus, in illo, quem videmus veneramur, ejusquè nobis curam, ac providentiam agnoſcimus adeſſe. Tum verò etiam ſpes, quæ facit ut præſentibus nuncium mittamus. Imprimis autem eminet charitas, & quidem in re omnium difficillima, ut divinam voluntatem, noſtræ voluntati, ac placito anteferamus.

10. Ideoquè ſi cum ſale argumentari eamus, hoc revera comperiemus, quòd uni obedi-

entiæ actui omnium fermè, illarumvè tantoperè commendabilium virtutum, cohreant actiones. Ex quo fit, ut obedientiæ exercitium (Gregorio teste) cæteras quoquè virtutes animo inserat, & quum illud augetur, hæ quoqè augeantur, & crescant. Nequè verò solùm inserit, sed etiam insertas custodit; quô, ignoro; cujusnam virtutis gloriosius munus esse possit. Etenim reliquæ virtutes fermè non tantùm, acsi gemmæ quæpiam latronum, & insidiantium dæmonum rapinæ patent, & quo majores fuerint, eorum cupedine magìs incenduntur prædonum catervæ; ast persæpè etiam seipsis destructæ lachrymantur non quidem geniô innatô, verùm possessorum arrogantiâ, & superbiâ, ut Lucifero omni lapide pretioso olim ornato evenisse videmus. *Quomodò cecidisti de cælo lucifer, qui manè oriebaris? corruisti in terram, qui vulnerabas gentes? qui dicebas in corde tuo: in cælum conscendam supra astra DEI exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis.* Isa. 14. 12. 13. Iam autem obedientia nonmodò sibi ipsi scutô, ast etiam reliquorum, quæ parturire solet, bonorum, est antemurali; nam nihil sibi confidit, nihil suum mordicùs defendit, nullô contra jus & fas gaudet, sed circa hoc unum occupatur necessarium, ut homo seipsum abnegans, DEI manibus, acsi depositum quoddam concredat, cujus tutelæ consignatus,

quis

quis patuit prædæ? *Quos dedisti mihi, non perdidi ex eis quemquam.* Joann. 18. 9. Vel enimverò non habet accessûs facultatem averni princeps, vel si habet, DEI jam partium est, ut acies dissipet instructas, quando nos in manibus suis portat; vel certè nos corroboret, ut absquè fatigio stygij hostis ferociæ insultemus. Quare egregiè nominatus Greg. in 1. Reg. l. 4. c. 4. inquit: *Victimæ sunt obsequia obedientium: quia cùm hominibus pro DEO subjicimur, superbos spiritus superamus. Cæteris quidem virtutibus dæmones impugnamus, per obedientiam vincimus. Victores sunt ergo, qui obediunt, quia dum voluntatem suam aliis sponte subjiciunt, ipsis lapsis per obedientiam angelis dominantur.*

11. Ecce dulces gutturi (Cant 2. 3.) & suaves palato obedientiæ fructus, & quidem solius: nam hoc quoquè Gregorius inquit: sola virtus est obedientia, quæ reliquas virtutes menti inserit: ut palam constet, quantum illud bonum sit, quô sæculares gemunt viduati; contra verò Religiosi, quàm recto, quàm tuto, quamquè solido ad omnem perfectionem, quorum tota vita est obedientia, tramite incedant, qui tam facili compendio in una virtute virtutes omnes consequuntur. Quamobrem optimè Climacus grad. 4. *Obedientia,* inquit, *est perfecta abnegatio propriæ animæ, & proprij corporis, mors voluntaria, vita sinè solicitudine, navigatio sinè damno, sepultura volun-*

tatis, vita humilitatis, & quasi si quis dormiendo iter faciat. Idemquè asserit virtutem obedientiæ exercere, seu vivere in obedientia, haud aliud esse, quàm suum alienis humeris imponere onus, natare super aliorum ulnas, & sustentari, nè mergamur, ast sinè periculo hoc grande pelagus hujus miserrimæ vitæ transeamus, & quidem brevissima navigatione. Quid melius, aut quid majus dici poterat? sed illud cumprimis magni faciendum, quod inquit hoc fieri beneficiô obedientiæ, ut quasi somnum ducentes iter conficiamus, quum nos videlicet tamquàm infantes, aliorum cura, ac providentia gestat inter ulnas. Itaquè cùm iter vitæ præsentis alijs quidem adeò durum sit, adeò etiam innumeris periculis obsessum; attamen Religiosis, virtutis hujus præsidiô in tantùm mollescit, ut nec sentiant quidem.

12. His breviter expensis erigimini jam, quia mittit Dominus Discipulos suos, ut in vobis, tanquam in pullo asinæ sedeat: curis vos sæcularibus solvat; ut paleas, & lateres Ægyptiûm derelinquentes, Moysen sequamini in eremo, & terram per vota Religiosa, repromissam introeatis. Nemo sit, qui prohibeat; non Mater, non Pater, non soror, non cognata, non germanus: ille vos necessarios habet, qui vitam Regularem inoffensо pede ducentes æternùm desiderat felices. Quod, ut eveniat, candido exopto corde.

EXHOR-

EXHORTATIO V. ad plures.

Cùm votum voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus DEUS tuus, & si moratus fueris reputabitur tibi in peccatũ. Deut. 23. 21.

1. PErsæpè humanis mentibus obrepere compertum, ut aliqua levi perstricti offensione, si non illis cedant pro studio voluntaria, officiô desistant. Quod quidẽ in alio genere hominũ tolerabile; in ijs verò, qui rei divinæ intendunt, plenum doloris. Adhuc in corde Cælestis Sponsi calent vestigia, & jam intromittuntur desideria adulterina. Bonum propositum, quod in aurora prodiit, in meridie flore adusto, jam occumbit. Manè nonnemo orat cum Vate Coronato: *non movebor in æternum.* Psal. 29. 7. Ast meridiem ante adhuc, dicere potest: *deprofundis.* Psal 129. 1. *Vox illa prisca* (inquit Drexelius Tristmeg. l. 1. c. 8.) *de Christianis verissima est: manè psalterium, meridie convivium, vesperi convitium, & propudium.* Atq; adeò multorum est incipere; paucorum verò perficere cæpta. Ast *væ his qui perdiderunt sustinentiam; & qui dereliquerunt vias rectas,*

tatis, vita humilitatis, & quasi si quis dormiendo iter faciat. Idemquè asserit virtutem obedientiæ exercere, seu vivere in obedientia, haud aliud esse, quàm suum alienis humeris imponere onus, natare super aliorum ulnas, & sustentari, nè mergamur, ast sinè periculo hoc grande pelagus hujus miserrimæ vitæ transeamus, & quidem brevissima navigatione. Quid melius, aut quid majus dici poterat? sed illud cumprimis magni faciendum, quod inquit hoc fieri beneficiô obedientiæ, ut quasi somnum ducentes iter conficiamus, quum nos videlicet tamquàm infantes, aliorum cura, ac providentia gestat inter ulnas. Itaquè cùm iter vitæ præsentis alijs quidem adeò durum sit, adeò etiam innumeris periculis obsessum; attamen Religiosis, virtutis hujus præsidiô in tantùm mollescit, ut nec sentiant quidem.

12. His breviter expensis erigimini jam, quia mittit Dominus Discipulos suos, ut in vobis, tanquam in pullo asinæ sedeat: curis vos sæcularibus solvat; ut paleas, & lateres Ægyptiûm derelinquentes, Moysen sequamini in eremo, & terram per vota Religiosa, repromissam introeatis. Nemo sit, qui prohibeat; non Mater, non Pater, non soror, non cognata, non germanus: ille vos necessarios habet, qui vitam Regularem inoffensо pede ducentes æternùm desiderat felices. Quod, ut eveniat, candido exopto corde.

EXHOR-

EXHORTATIO V. ad plures.

Cùm votum voveris Domino DEO tuo, non tardabis reddere, quia requiret illud Dominus DEUS tuus, & si moratus fueris reputabitur tibi in peccatū. Deut. 23. 21.

1. PErsæpè humanis mentibus obrepere compertum, ut aliqua levi perstricti offensione, si non illis cedant pro studio voluntaria, officiô desistant. Quod quidē in alio genere hominū tolerabile; in ijs verò, qui rei divinæ intendunt, plenum doloris. Adhuc in corde Cælestis Sponsi calent vestigia, & jam intromittuntur desideria adulterina. Bonum propositum, quod in aurora prodiit, in meridie flore adusto, jam occumbit. Manè nonnemo orat cum Vate Coronato: *non movebor in æternum.* Psal. 29. 7. Ast meridiem ante adhuc, dicere potest: *deprofundis.* Psal 129. 1. *Vox illa prisca* (inquit Drexelius Tristmeg. l. 1. c. 8.) *de Christianis verissima est: manè psalterium, meridie convivium, vesperi convitium, & propudium.* Atq; adeò multorum est incipere; paucorum verò perficere cæpta. Ast *væ his qui perdiderunt sustinentiam; & qui derelinquerunt vias rectas,*

ctas, & diverterunt in vias pravas. Eccli. 2. 16. Quid infelicius populô Israeliticô, qui Moysen in monte commorantem expectavit ad diem trigesimum, avidissimè, quintum, ut advertit Abulensis, vel verò, ut asserit Rabbi Salomon usquè ad effluxum trigesimi noni, & dimidium quadragesimi, & tamen, quia alteram dimidiam partem haud complevit, infortunium incurrit duplex, & & culpæ, & pænæ. *Videns populus, quòd moram faceret descendendi de monte Moyses, congregatus adversùs Aaron dixit: surge fac nobis deos, qui nos præcedant, Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti ignoramus quid acciderit. Locutus est autem Dominus ad Moysen dicens: vade, descende: peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti. Recesserunt citò de via, quam ostendisti eis.* Exod. 32. 1. & 7. En tibi malorum omnium pessimum; nempe terga DEO obvertere, & inceptam pietatis deserere viam. *Adhuc conversus videbis abominationes majores his. Et introduxit me in atrium domûs Domini interiùs: & ecce in ostio templi Domini inter vestibulum, & altare, quasi viginti quinquè viri, dorsa habentes contra templum Domini, & facies ad orientem, & adorabant ad ortum solis. Certè vidisti fili hominis: nunquid leve est hoc domui Iuda, ut facerent abominationes istas, quas fecerunt hìc: quia replentes terram iniquitate, conversi sunt ad irritandum me? & ecce applicant ramum ad nares suas. Ergo & ego faciam in furore: non parcet oculus meus,*

nec

nec miserebor: & cùm clamaverint ad aures meas voce magna, non exaudiam eos. Ezech. 8. 15. & sequ. Sic, sic fit, qui non attigit à fine ad finem fortiter, ad victoriam non pertingit. *Nescitis quòd ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium* 1. Cor. 9. 24. Pando, quod sentio: non sufficit in Religione Sacra, solemnia emisisse vota, sed insuper requiritur, illa omni nisu, omni solertia deducere in effectum; proin Dilectissimi in Christo Fratres Professandi, ut hoc vitâ vestrâ faciatis, sicquè *abundanter* (2. Pet. 1. 11) *ministretur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri, & Salvatoris IESU Christi*, vel illa erunt adminiculô, quæ pace vestra, subsequo adducam discursu. Favete.

2. Vota Religiosa Paupertatem, Obedientiam, & Castitatem esse, perbellè nostis; ast quid de illorum primo paupertate videlicet aurei oris Doctor S. Chrysostom. hom. 48. in Matth. 13. dicat, paulisper pensate: *Inops ultrò, ac sponte, animus fulget ut aurum, splendet sicut gemma; floret quasi rosa: nulla tinea ibi est, nullus fur, nulla cura sæcularis; sed vivit Evangelicâ vitâ Vis hujus animi pulchritudinem aspicere? vis paupertatis opes, quantæ sint discere? non imperat hæc viris, sed dæmonibus, non assistit regi, sed assistit DEO; non hominis, sed Angelorum commilito est.* Simon verò Cass. l. 10. c. 4. ita habet. *De cælo paupertas ad terras descendit; sicut pro nobis factus egenus de cælis advenit.*

Hinc

Hinc non immerito S. Hugo Carthuſianus Ep. Linconienſis referentibus Annalibus Eccleſiaſticis A. C. 1200. eorum, quos eleemoſynâ lautâ benè habebat, leprosorum, aliorumquè, putridos pedes amanter abluebat; & inter lachrymas, & amplexus, pulcherrimè illos ad patiendum hortatus, ac ſolatus ajebat: *Vos eſtis roſæ paradiſi, vos eſtis lapides pretioſi, quos in ſuo diademate Chriſtus inſeret in æternum.* Nequeverò Pontificum, vel Sacerdotum, aut Phariſæorum, vel Scribarum, aut Optimatum cuipiam evangelizatum eſt gaudium illud (Luc. 2. 10.) quod olim, & defactò omnis haurit populus, magnum, ſed pauperculæ paſtorum plebi, ut detur nôſſe, quàm chari, quamquè ſint accepti DEO etiam viliſſimi homines; utpote ad quos dirigit Angelos; quibus primùm nati DEI myſterium manifeſtat. Princeps etiam Apoſtolorum Petrus, antequam claudum à ſua miſeria ſublevaret, teſtatur ſe aurum, & argentum non habere, Act. 3. 6 quod autem divinitùs ineſt ſibi, hoc lubens partitur infirmitate preſſo. *In nomine IESU Chriſti Nazareni ſurge; & ambula.* Quare Sylveira hìc qu. 8. exclamat: *O verè beata paupertas! quæ: cùm nihil de mundi facultate habeat, tantùm de cælo largitur: non dat quidem argentum, vel aurum; ſed quod plus eſt divitiјs omnibus, reddit corporis ſanitatem.* Et quemadmodum in ſuperna illa, ac cæleſti Sion reperiuntur novem Ordines Angelorum, ſic ſunt

jux-

juxtà assertum S. Vincentij Ferr. serm. 2. post Oct. Pasch. D. 1. in hoc mundo novem modi bonæ vitæ, correspondentes novem ordinibus Angelorum, quorum septimus Thronis assimilatur ita, ut ipse Dominus Matth. 19. 28. dicat: *Amen dico vobis, quòd vos,* qui reliquistis omnia, & *secuti estis me, in regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel* In regeneratione, quando & mortui de corruptione resurgent incorrupti, qui propter Christum omnia reliquerunt, occupabunt solia judicantium, & condemnabunt gentes, quæ in divitijs plùs justô gloriabantur, in suaquè feritate confidebant. Beati ergo estis pauperes spiritu, quoniam vestrum est regnum cælorum. Matth. 5. 3. Beati, qui non habetis horrea (Luc. 12. 19.) sed mundum universum nihili existimatis. Beati, qui non habetis, quod thesaurizetis in terra, sed totam vestram gazam præmittitis in cælum. Beati, qui post illa non abitis, quæ possessa onerant, amata inquinant, cruciant amissa. Beati, qui judicatis satiùs esse cum honore ea spernere, quæ in morte necesse erit relinquere cum horrore.

3. Prov. 1. 8. 9. Egregia, imò sapientissima cuiquè Christi sequaci datur informatio sequentibus verbis: *Audi fili mi disciplinam patris tui - - ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo.*

Sept.

Sept. habent: *ut addatur corona gratiarum.* Acsi diceret Sapiens Domini: quisquis has meas leges, & monita susceperis, opereque exercueris illa te exornabunt perinde ac corona caput, & torques collum. Nimirùm gratia obedientiæ ita exornat obedientem, sicut corona caput, & torques collum. Multiplex autem corona gratiarum promittitur obedienti. Prima gratia DEI, & hominum. Secunda virtutum omnium: has enim vel imperat obedientia, vel svadet. Tertia plenitudo gratiarum, quas DEUS obedienti infundit. Quarta regni cælestis. Placet hìc adferre illud, quod Orlandinus de P. Petro Fabro in vita ejus l. 2. c. 28. refert. Fuit hic P. primus S. Ignatij Socius, apparuitquè cuidam Religioso post mortem coronâ obedientiæ redimitus, eô, quòd in vita, & morte, victima fuisset illius quondam professæ. Mortuus est enim, eò, quod Romam vocatus in summis caloribus æstatis, illam ijsdem ingressus sit; cùm sciret, se certum adire periculum; malens vitam perdere, quàm obedientiam in aliquo labefactare. In vitis quoquè PP. l. 5. narratur: quendam vice quapiam vidisse quatuor ordines in cælo. Primum, infirmorum, & gratias agentium DEO. Secundum, hospitalitatem sectantium. Tertium, in solitudine conversantinm. Quartum, obedientium; qui utebatur torque aureâ, & coronâ; & majorem, quàm alij gloriam habebat.

4. Quid

4. Quid dicam de obedientia Petri? Nonnè ille tota nocte, Evangelistâ Domini attestante Luc. 5. 5. unicum cepit nihil, laborando? ast piscans ex obedientia, vix rete mandavit aquis, mirum in modum fuit prosperatus: *Et cum hoc fecissent, concluserunt piscium multitudinem copiosam, rumpebatur autem rete eorum.* ibid. ℣. 6. atquè sic Magistri obptemperans voci, totum quod in cassum iverat tempus recuperavit.

5. Sæpenumerò contingit, quòd Religiosus multùm, atquè diù laboret, & parùm mereatur; & parùm laborans multùm mereatur; si contra obedientiam multùm laborat, nihil meretur, & si solâ suâ voluntate laborat, parùm etiam meretur. Si autem ex obedientiæ virtute laborat, ingenti fit dignus retributione. Atqueadeò, qui obediens est, manducans jejunat, dormiens vigilat, & in quiete laborat, hôcquè pactô gratissima fit victima DEO; totiesquè quodammodò renascitur, quoties sui Superioris exequitur jussa. Quare S. Greg. l. 2. Expos. in 1. Reg. 3. subinfert dicens: *Si in malo inobedientiæ mors prævaluit; toties vitæ reddimur, quoties obedimus.* Cui adstipulatur S Laurent. Just. qui de vict. obed. c. 1. Lign. vitæ ita fatur: *Nullô modô homo salubriùs reparatur, quàm per præceptum. Sicut prostratus est propriô arbitriô; ita restaurandus est alienô: & sicut per inobedientiam incurrerat culpam; sic per obedientiam admittendus est ad gratiam.*

Et, ut paucis complectar plura: *Ad promerenda æternæ vitæ gaudia non exquiritur qualitas operis: sed mortificatio propriæ, & executio alienæ voluntatis.* Greg. memorato l. c. libr. 3. teste.

6. Quòd castitas animam disponat ad receptionem divinarum consolationum, & revelationum; sicut è contra luxuria hebetat intellectum, citra omne dubium est, cui veritas subjaceret. Et alioquin: Utique, referente S. Hier. l. 1. adv. Jovin. Ezechiel vitâ, Uxore, functâ, elevatus est à Domino, & vidit, ac contemplatus est palàm cælestia arcana? quod ei non fuit concessum illa vivente. Item inter duodecim Apostolos, ut ait S. Ambros. super 2. c. ep. 1. Corinth. solus Joannes fuit Virgo, & sic elevatus ad tam divina secreta. Paulus inter cæteros Apostolos, virgo, raptus in tertium cælum. S. Thomas Aquinas, Angelicus Doctor ob hanc virtutem. Sybillæ virgines, quamquàm gentiles, donum prophetiæ habuêre. Lipsius etiam in suis Monitis dicit: *Nihil tam mortiferum ingeniis, quàm libido.* Hinc non immeritò Evangelista acclamat continuò: *Sint lumbi vestri præcincti.* Luc. 12. 35. acsi svaderet, Aug. Greg. Basil. Hier. exponente; mortificate luxuriam, studete castitati. Etenim nihil pulchrum, nisì per puritatem, corquè mundum, & castum, ad instar conchæ margaritiferæ est; nullam nisì quæ de cælo venit,

aquæ

aquæ guttam recipientis, atquè ſola eſt caſtitas, quæ in hoc mortalitatis & loco, & tempore, ſtatum quendam immortalis gloriæ repræſentat. Sola, inquam, eſt caſtitas, quæ eſt omnium virtutum lilium, & Angelos nunquam non amicos habet, nullâquè virtute tam propriè carnales homines à ſpiritualibus Angelis imitatione converſationis æquantur, quàm meritò, & gratiâ caſtitatis. Sola, inquam, eſt caſtitas quæ eſt gratiſſimum domicilium, jucundum diverſorium, atquè pulcherrima victima Chriſti, & terreſtris clypeus cordis humani. Sola, inquam, eſt caſtitas, cujus florigeram amat patriam flos de radice Jeſſe, & inter lilia cujus libenter paſcit flos campi, & lilium convallium. Cant 2 6. O caſtitas! O Libane! tua dealbatio par cælo. Ita places Sponſo, ut qui Dilectam rarò vocavit, & ſæpè neglexit, ter eam advocet coronandam. Cant. 4. 8. 9. Nunquam coronam ab eo promeruit, nisì cùm albicavit; nunquam eum vulneravit, l. c. nisì candore ſuô, nec ex horto omnigenis floribus ibid. c. 8. 13. nec ex domo cedrina ibid. c. 1. 17. nec ex cellarijs ibid. c. 1. 4. in quibus charitate initiata eſt, Dilectum ad ſe rapuit; ſed tantùm à Libano: *veni! veni! veni!* Præcæteris gemmis, præ cæteris, præ cæteris millenis pretioſus unus caſtitatis candor. Atqueadeò, *qui lavant ſtolas ſuas in ſanguine Agni* (Apoc. 22. 14.) *ut ſit poteſtas eorum in ligno vitæ, & per portas intrent*

trent in civitatem, non eas purpurâsse, ast dealbâsse, dicuntur. Et quemadmodum palma, corde cùm sit albicante, circumcirca scatet surculis, & aculeis, quibus ejus candor muniatur; sic castitas illas candori suo super induit spinas, quæ quantùmvis minimam illecebram pungant carnalem. Eapropter justè S. Ephrem de cast. exclamat: *O castitas, quæ homines Angelis similes reddis! O castitas currus spiritualis, possessorem suum in sublime evehens! O castitas, quæ rosæ instar, in medio animæ & corporis flores!*

7. Videtis jam Dilectissimi in Christo Fratres Professandi, quæ, & quanta, Vota Religiosa secum adferant bona videtis, quòd nemo, qui non renunciaverit omnibus, quæ possidet (Luc. 14. 33.) possit esse discipulus Christi: videtis, quòd obedientia victimis præferatur. 1. Reg. 15. 22. Videtis, quia Apostolus cohortatur: *State succincti lumbos vestros.* Ephes. 6. 14. modò nîl restat, quàm, ut cautè ambuletis, ut hæc O. DEO nuncupata, tractu vitæ vestræ nè in minimo quidem labefactare pessumeatis. Reminiscamini: P. Andreas Oviedo, à Pontifice creatus Patriarcha Æthyopiæ, ibidem usquè ad mortem vixit in tanta paupertate; ut propriis manibus araxit in tanta paupertate; ut propriis manibus aratrum duceret, sereretquè fruges, quas comederet. Unde revocatus à Gregorio XIII. P. literas ad eum dedit exaratas in marginibus, quos è Breviario suo præciderat; eò quòd aliam ad scriben-

bendum chartam non haberet. His enixè obsecrabat Pontificem, ut permitteret se Ecclesiæ suæ, quam sibi desponderat, usquè ad finem vitæ assistere. Visis his illachrymatus est Pontifex, suamquè illi benedictionem impertijt. Mementote: Abbas quidam volens cujusdam Fratris obedientiam probare, plantavit lignum aridum; Fratriquè præcepit, ut tamdiu illud rigaret, quousquè produceret fructus. Fecit ille per tres annos, & lignum viride factum est, & attulit dulcissimos fructus, quos Abbas colligens cunctis Fratribus dedit dicens: Fratres, comedite fructus S. obedientiæ. Revocate vobis in memoriam: Job diabolum videns accedentem, non fugit; sed mansit sicut leo, viribus fidens: virgine autem visâ, non stetit, nequè moratus in contuenda pulchritudine; sed statim secessit. Censebat nimirùm in prælio contra dæmones virili, audacî, animô opus; continentiæ autem præparatione victoriam concedi, non ex virginum consvetudine, sed secessu. Sic facite; & lucidas in cælo possidebitis sedes.

Homo, qui votum fecerit, & sponderit animam suam DEO, sub æstimatione dabit pretium. Levit. 27. 2.

1. SUper omnia terrestria quemlibet mortalium DEUS sublimavit, dum illum ad imaginem suam procreavit. Gen. 1. 26. Quid DEO majus, pulchrius, excellentius? Et quid post eum ejus imagine? Profectò dignitatem animæ suæ ignorat, qui illam evanescentibûs condecorare laborat. Ignavus hìc pascitur, excelsior animus æternis gaudet, cogitat se cælestibus parem, peituris majorem. Magna res est anima, quæ Christi pretiosissimo Sanguine est redempta; gravis animæ casus, qui nonnisì Christi cruce potuit reparari *Itaquè fratres non sumus ancillæ filij, sed liberæ: qua libertate Christus nos liberavit.* Galat. 4. 31. *Vos, qui aliquando eratis longè, facti estis propè in Sanguine Christi.* Ephes. 2. 13.

2. Omnes mundi divitiæ, omnis gloria, & quidquid in mundo conspicitur, minus animâ est, imò vix aliquid in ejus comparatione, seu veriùs nihil. Sic enimverò Magnus Venetarum Patriarcha S. Laur. Just. serm. in Festo S. Thom. Apos.

Apos. inquit: *Si pro una tantùm anima totum, quod est in mundo, appendas, aurum, argentum, metallaquè cætera, margaritas omnes, prædia, possessiones, palatia, urbes, castra, ipsumquè mundum; nihil in ejus comparatione dedisti.*

3. Quodsi verò hæc ipsa anima primævum innocentiæ suæ, sub inculpata servare studet, ac nititur tutela, nitorem, quid de illa concludendum manebit? Audiatur Vincentius Thaumaturgus, qui serm. 3. infra octav. S. Dominici in in hæc excurrit inquiens: *Si videres unam animam sinè turpitudine, & maculâ peccati; transires mille annis, quòd nunquam velles comedere, nec bibere.* Adstipulatur præfato S. Patri S. Bernardinus sen. serm. 51. artic. 1. animæ innocentis, his verbis, pulchritudinem depingens; dicit enim: *Si formarentur tot empyrij cæli, quot sunt aquarum guttæ, quot sunt grana arenæ maris, quot sunt etiam stellæ maris: omnis plulchritudo eorum simul sumpta non posset æquari pulchritudini unius animæ. Tanta est excellentia ejus.*

4. Hæc est dignitas, hæc æstimatio, hoc animæ humanæ, tum in genere, tum in specie, pretium excellens: quanti porro erit, dum se in servitium per Vota Religiosa, Paupertatem videlicet, Obedientiam, & Castitatem O DEO mancipabit? Tanti nullus dubito, quantò hæc sunt digniora, præstantiora, æstimabiliora. Ast, quæ præstantia, quæ dignitas, quæ æstimatio horum?

Subſequo demonſtrabo diſcurſu. Favete.

5 Omnibus quotquot ſumus poſteri Adæ, immortalis ab O DEO animus eſt datus, & ideò datus, ut breviſſimô hujus miſeræ vitæ ſpatiô, immortalitate induamur; hinc nihil tam contra ſanam poteſt eſſe mentem, quàm & naturam tam præſtantem, & tempus adeò æſtimabile, & pretioſum, perituris, & fugacibus, ſemperquè fluxis impendere rebus. Eapropter Paupertas Religioſa his curis, his moleſtijs, his ſolicitudinibus exvinculata judicat optimam eſſe partem, dum totaquanta in æternitatis amore, & ſtudio continetur. Etverò: poteſtnè quæpiam ex his mundanis rebus inveniri, quâ ſequacium ſuorum impediantur cogitationes? Utiquè illi non ſtudent agris procurandis? non incumbunt vectigalibus exigendis? non inhiant pecuniæ colligendæ? ſpernunt lites agitandas.

6. Quod otium quàm neceſſariũ ſit, quàm dignum, quàm præſtans, quàm æſtimabile in Philoſophia cæleſti? patet vel inde, quòd veteres illi ethnici in ſua terrena Philoſophia illud habuerint cordi. Hinc Zeno, Nazianzeno orat. 47. referente, omnia in maris projicit tempeſtate: fortunæ gratias rependit; de Philoſophico palliollo gloriatur. Melius hac in parte Crates proceſſit: ille enimverò, ut Hieronymus epiſt. 13. narrat, non neceſſitate, ſed judiciô, & voluntate, cùm ditiſſimus eſſet, magnam auri ſummam abjecit

jecit in mare, existimans se non posse divitem satis benè philosophari. Atquè hunc eundem ferè omnes animum retinuêre, qui illi stipulatam numero dedêre, ex quibus ille stoicorum laudator Seneca de tenui victu plurima, & aptiora dixit. Nam ep. 17. ita habet: *Si vis animo vacare, aut pauper sis oportet, aut pauperi similis. Non potest studium salutare fieri sinè frugalitatis cura.*

7. Nequè sinit paupertas infirmis, infimisquè hisce, animos nostros agglutinari, rebus, quæ quidem solet esse scaturigo omnium malorum. Nullum namquè latet illud Gregorij 23. Mor. 15. contingere quandoquè viatoribus, cùm amæna in itinere impingunt in prata, ut sponte moras innectant, & â cæpti itineris rectitudine declinent, eorumquè pedes pulchritudo itineris retardet, delectando. Hinc, mos iste est Domini, quòd electis suis ad se pergentibus hujus mundi asperum faciat iter, nè dum quisquè præsentis vitæ requie, quasi amænitate, pascitur, magis eum diu pergere, quàm citiùs pervenire delectet; nè dum oblectatur in via, memoriâ excidant, quæ in patria desiderabat. Atqueadeò, quod Gregoriô præfatô referente facit DEI sapientia cum suis electis, hoc Religiosus quilibet in seipso facere nititur, ut omnia commoda spernat non solùm, sed & pro capitalissimo habeat inimico, incommoda è converso, & inopiã toto amplectatur corde in tantùm, ut nihil jam

in rerum natura reperiatur, quod illum perfidô, cujuſcunquè pôllicitationis,capiat viſcô, aſt contra potiùs tot calcaria ejus curſum ad ſupera incitent, quot ſunt inſufficientiarum moleſtiæ, quarum aculeis obtulit ſe amore Magiſtri Cæleſtis (Luc. 9. 58.) pungendum: quô pactô verificabitur, ut in ipſo quoquè ille ſanctus, & ſalutaris radices figat affectus, quem Doctor Gentium Hebr. 13. 14. ſuum diſerto prædicare non ceſſabat ore, ut ab amore omnium terrenorum abſtractus non ſupponat ſe hìc habere civitatem permanentem, verùm futuram pro omni niſu, pro omni conatu, induſtrioſus, inquirat.

8. 1. Cor. 7. 25. Quid ibi loci Apoſtolus dicat, audiamus: *De virginibus præceptum Domini non habeo, conſilium autem do, tamquam miſericordiam conſecutus à Domino, ut ſim fidelis.* Cur de virginibus (quærit Hieronymus ad Euſtochi. de cuſtod. Virginit. tom. 1.) Domini non habet præceptum? & mox ibidem reſpondet: *Quia & ipſe, ut eſſet virgo, non fuit imperij, ſed propriæ voluntatis. Nequè enim audiendi ſunt, qui eum uxorem habuiſſe confingunt: cùm de continentia diſſerens, & ſuadens perpetuam caſtitatem intulerit:* Volo autem omnes eſſe ſicut me ipſum. *Et infra:* Dico autem innuptis, & viduis: Bonum eſt illis, ſi ſic permaneant ſicut & ego. *Quare ergo non habet Domini de virginitate præceptum? Quia majoris eſt*

merce-

mercedis, quod non cogitur, & offertur: quia si fuisset virginitas imperata, nuptiæ videbantur ablatæ, & durissimum erat contra naturam cogere, Angelorumquè vitam ab hominibus extorquere. His consentit Domini Propheta Isa. 56. 3 & sequ. dicens: *Non dicat Eunuchus: Ecce ego lignum aridum. Quia hæc dicit Dominus Eunuchis: Qui custodierint sabbata mea, & elegerint, quæ ego volui, & tenuerint fædus meum: Dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis, & filiabus: nomen sempiternum dabo eis, quod non peribit.* Maximâ ergo dementiæ inureretur notâ ille, qui post apertas, & pateticas divinarum Scripturarum decisiones, æquipararet virginalem castitatem continentiæ conjugali, aut negaret illam esse alicujus meriti apud DEUM. Ipsa Sapientia Incarnata apud suum Evangelistam Matth. 19. 12. illos, qui se propter regnum cælorum castraverunt, extollit, & quis eos deprimere ausum ibit? Amabo, æqualemnè laudem, ac præmium meretur, qui ignaviter pugnat, & qui acerrimè hostem agreditur, & prosternit? At, at compertum virgines expeditiores ad conflictum esse, fortiùsquè hostem premere conjugatis Apostolo dicente, & affirmante: *Volo vos esse sinè sollicitudine. Qui sinè uxore est, sollicitus est, quæ sunt Domini, quomodò placeat DEO: Qui autem cum uxore est, sollicitus est, quæ sunt mundi, quomodò placeat uxori, & divisus est.* 1. Cor. 7. 32. 33. Majoris

joris autem meriti esse, quærere, quæ sunt Domini, & placere DEO, quàm quæ mundi, & placere uxori, etiam cæcus videt. Hinc peroptimè Sacro Sancta Synodus Trident. Sess. 24. can. 10. statuit, ac decrevit: *Si quis dixerit statum conjugalem anteponendum esse statui virginitatis, vel cælibatûs, & non meliùs esse, & beatiùs manere in virginitate, aut cælibatu, quàm jungi matrimonio, anathema sit.* Similia habet Siricius Papa contra errorem Joviniani, adversùs quem D. Hieron. doctissimè scripsit.

9. Estnè adhuc pluribus pro hac re disserendum? planè supervacaneum autumo; interim tamen Bernardi neutiquam valeo oblivisci, qui in Job. 14. epis. 42. in hæc excurrit: *Quid castitate decorius? quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, Angelum deniquè de homine facit? Differunt quidem inter se homo pudicus, & Angelus, sed felicitate, non virtute. Sed etsi illius castitas, quæ in hoc mortalitatis loco, & tempore, statum quendam immortalis gloriæ repræsentat, sola inter solemnia morem illius beatæ vendicat regionis, in qua neq; nubunt, nequè nubuntur, præbens jam in terris cælestis, jam illius conversationis experientiam.* Vas enimverò, quod portamus, in quo & crebrò periclitamur, tenet castitas, ut insinuat Evangelista Matth. 12. 29. in sanctificationem, & instar odoriferi balsami, quô condita cadavera incorrupta servantur; sensus ipsa continet,

tinet, & artus continet, & conſtringit, nè diſſolvantur otijs, nè corrumpantur deſiderijs, nè carnis voluptatibus computreſcant, quemadmodum de quibuſdam Joel. 1. 17. legitur: quia *computruerunt, ut jumenta in ſtercore ſuo.* Proin *felix* terquè, quaterquè beata *ſterilis, & incoinquinata* ore Sapientis Sap. 3. 13. proclamatur, *quæ neſcivit thorum in delicto, habebit fructum in reſpectione animarum ſanctarum.*

10. Ex tribus illis Patriarchis Abraham, Jſaac, & Jacob, longiorem vitam duxit Jſaac. Nam Jacob vixit annis 147. Gen. 47. 28. Abraham annis 175. Gen. 25. 7. Jſaac verò 180. Gen. 35. 28. Cur huic vita longior? Dicet aliquis: quia Jſaac magìs continens: fuit enim monogamus, cæteri polygami. Fateor continentiam multùm ad longiorem vitam ſemper contuliſſe. Sed addo: Jſaac diutiùs, quàm alij, vixit: quia vitam ſuam per obedientiam DEO imperanti in holocauſtum conſecravit. Nec immeritò: nam, ſi mors per inobedientiam intravit in mundum: ergo vita per obedientiam debet intrare Greg. l. 2. in lib. Reg. c. 4. de Samuel. obed. teſte. Obedientia enimverò unicum bonum eſt, quo mediante vita, quæ jam perdita deplorabatur, reintegrata, priſtino reſtituitur ſtatui: ſicut inobedientiæ culpam ſufficiens fuiſſe malum ad promerendam mortem, cæci ipſi non palpando dudum concluſêre. Si ergo in malo inobedientiæ

mors

mors arcu, & ſagittâ triumphavit, vicit, genus deniquè humanum proſtravit funeſtè; toties renaſcimur, quoties juſſibus Majorum noſtrorum ſubdimus cervices, exequendis. Plùs dicam: immortalitatis prærogativâ inſignitur meritò, qui obedientiam pluris facit, quàm vitam; atqueadeò, qui vitam ponere, & ſanguinem effundere irretortâ palpebrâ ſemper eſt paratus, quàm, ut obedientiæ virtus vel in minimo labefactetur, periclitetur. Etverò: Nonnè dicebatur quondam in Scriptura DEUS Abraham, DEUS Jſaac, & DEUS Jacob? Modò ſi rem penſiculatiùs expendamus, certè deveniemus nunquam hoc nomen O DEUM uſurpâſſe; ſaltem reſpectu Abrahæ, & Jacob ſtante ipſorum vitâ, aſt primò poſt eorum mortem: quia per hoc nomen ſignificare volebat, eos, licèt vitâ functos, eſſe immortales. Hôc enim argumentô Chriſtus D. uſus eſt contra Sadducæos negantes immortalitatem animarum: Matth. 22. 31. *Non legiſtis, quid dictum eſt à DEO: ego ſum DEUS Abbraham, & DEUS Iſaac, & DEUS Iacob; non eſt DEUS mortuorum, ſed viventium.* Nihilominùs ſemel DEUS ſe vocavit DEUM unius Jſaac adhuc viventis; ità enimverò alloquitur Jacob. Gen. 28. 13. *Ego ſum Dominus DEUS Abraham patris tui, & DEUS Iſaac.* Quæro nunc: ſi DEUS non vocabat ſe DEUM aliorum Patriarcharum adhuc viventium, ſed vitâ functorum: ut eô pactô illorum immortalitatem teſtaretur;

cur

cur unius Jſaac DEUM ſe vocat adhuc viventis? Rationem adfert Mendoza in 1 Reg. 3. 9. *Quia Iſaac, dum ſe DEO obtulit in ſacrificium, voluntate ſuâ mortuus jam erat, & obedientiæ meritò immortalis Quare, qui mortem pro obedientia non timet ante mortem conſequitur immortalitatem. Hinc perfectè obedientes, quaſi jam immortalitate donati, mortem non timent.*

11. Quæ cùm ita ſint: Facite jam nunc Dilectiſſimi in Chriſto Fratres Profeſſandi votum, ſpondeteque animas veſtras DEO, & ſub æſtimatione pretium dediſtis. Quia verò, ut Apoſtolus Rom. 2. 13. inquit, non auditores, ſed factores legis juſti ſunt apud DEUM; hinc mementote, ut illa, quæ modò verbis proferetis, opere, quoad vivetis implere ſatagatis. Quodſi feceritis, illuc indubitanter pertingetis, ubi ſinè menſura gaudebitis, *& gaudium veſtrum nemo*, Evangeliſtâ Joann. 16. 22. atteſtante, *tollet à vobis* in æternum.

EXHORTATIO VII. ad unum.

Statura tua aſſimilata eſt palmæ. Cant. 7. 7.

1. UNica palma hâc, ab Authore naturæ, donatâ, gloriatur, prærogativâ, quòd quò anno-

annoſior ſit, eò uberiores afferat, & copioſiores fructus; reliquæ verò arbores cum ætate proficiunt, ſterileſcunt, putreſcunt, in nihilum rediguntur. Et de vita noſtra quî formabimus argumentum? Dum orimur, morimur: dum creſcimus, decreſcimus: dum floremus, defloremus; quia dum orimur, naſcimur ad mortem; quia dum creſcimus, ſingulis diebus ſecundùm vitam decreſcimus, ac morti matureſcimus; quia dum floremus, florum inſtar incipimus deflorere. O quot, quantoſquè, quibus prima primò purpura vernabat in ore, vidimus velut pulcherrimas decidiſſe roſas! Quot, quantoſquè vidimus, & audivimus, qui ante tempus tamquam flores effloruêre agri! Unicus, unica, unicum, unicus caſus, unica febris, unicum vulnus, imò tenuiſſimus quiſquè infirmitatis ventus vitæ noſtræ valet abrumpere filum, fortè cras, fortè hodie, fortè hâc horâ.

2. Non ſolùm uberrimè & copioſiſſimè fructificat, ſed & in ſeram ſenectam dies vitæ ſuæ protrahit ille, qui pro viribus, profectui incumbit, ſpirituali; una enim hora in DEI ſervitio peracta, longè ſuperat omnes annos vanitati litatos. *Ætas ſenectutis vita immaculata.* Sap. 4. 9.

3. Dilectiſſime in Chriſto Frater Profeſſande, hæc (nullus dubito) altè cordi, & menti impreſſa tenes, & ideò votis ſolemnibus Pauper-

pertate videlicet, Obedientiâ. & Castitate DEI servitio mancipari exoptas: manciperis quinimo; attamen memineris, ut promissa uberrimum, & copiosissimum afferant fructum. Ego subsequo discursu, antidotô sucurram spirituali. Fave.

4. Paupertatem (Act. 4.) Castitatem, ac Obedientiam in vita communi observandas docet Christus, dum ipse primum Discipulos suos illis ornatos virtutibus, in unam familiam congregavit, & successu temporis Spiritu Sanctô missô de cælo, primos, novissimosquè illos Christianos in communi absquè proprio, sub obedientia vivere docuit, atquè sui voti violatores Ananiam, & Saphiram (Act. 5.) sententiâ primi moderatoris, communiter viventium terribili exemplô punivit.

5. Vitam cænobiticam agentibus hæc tria esse necessaria ipsa illorum Professio S. testatur. Enimverò quælibet aut expressam mentionem horum facit, aut implicitam; quædam, ut, dum paupertatem, & castitatem, in voto solius obedientiæ, & conversionis morum, secundùm regulam comprehendit. Nam qui obediens est suo Superiori, moresquè immutat ad præscriptum canonis regulæ, dubiô procul, & paupertatem, & castitatem, de quibus observandis frequens in regulis extat mentio, immutabili lege amplexari tenetur.

6. Mittamus interim quomodò unaquæ-

quæ Religio circa prædicta DEO nuncupanda se gerat; hoc tamen sciamus oportet, quòd sinè his nullus Religionis Status in tuto consistere queat, ut docet Sacro-Sancta Synodus Trident. sess. 25 can. 5. mandans, & præcipiens, ut illibata serventur, & omni nisu custodiantur, quæ ad Professionis monasticæ perfectionem, ut obedientiæ, paupertatis, & castitatis pertinent. Etverò: nam si illa, quæ bases, & fundamenta sunt totius Regularis Disciplinæ exactè non fuerint observata, nîl amplius restat, quàm, ut ædificium corruat totum.

7. Porro renunciatio, quam omnes Religiosi profitentur, & de qua D. Basilius in Regul. cap. 8. fusiùs tractat, nihil aliud est, quàm vinculorum crassæ hujus, & temporaneæ conversationis absolutio, quæ, dum nos emancipat, & subducit anxijs, ac vitam humanam comitantibus negotijs, expromptiores, & magìs idoneos reddit ineundæ vitæ ad DEI contemplationem recta provehenti. Hinc Dionys. Areopag. in Ecclesias. Hierarch. cap 6. part. 2. Monachos oportere omnibus divisibilibus, non solum uxoribus, ast & imaginationibus, ac phantasijs renunciare luculenter affirmat. Jam verò quid per divisibilia intelligat B Maximus ejus Discipulus clarè ostendit, dum dicit Monachos hæc tria promittere, videlicet castitatem, & renunciare matrimonio, deinde vovere inopiam, & omnis

pecu-

peculij fugam, abominari autem mercaturam, quâ novum peculiariter comparetur, postremò obedientiam addicere DEO, & nuncium remittere veternæ militiæ.

8. Adhæc scripturæ, quæ à communi sæcularium vivendi ratione vocant, & sublimius vitæ institutum proponunt, clarissimè indicant, hæc tria omnibus ad perfectionem anhelantibus necessaria esse; de quibus, quoniam superfluum videri posset pluribus agere, succinctè tantummodò indicabo quædam veterum scripta, quæ pro hujus rei intelligentia sunt dignissima observatu. Et quidem pro paupertate tam fusè, quàm energicè tractat D. Hieronymus epist. ad Heliod. & Rustic. Monachum; ad Demetriadem, & Eustochium, præterea in Matth. 19. Basilius in quæstionibus fusiùs tractatis quæs. 9. Frequens etiam est in hac parte D. Legislator Aug. in Regula, tum Damascenus in historia Barlaam, & Josaphat. Castitatem virginalem doctissimis scriptis commendaverunt D. Hieronymus adversùs Jovinianum, Basilius, Augustinus, Chrysostomus, & Prosper, ad Demetriadem, Epiphanius in hæresi contra Valesios &c. Obedientiam verò nobis commendant Hieronymus in epist. ad Rusticum, & alias Basilius in regulis brevioribus 96. item in Constitutionibus monasticis, D. Greg. l. 32. moral. cap. 22. D. Bernardus de præcepto, & dispens. & alij complures.

9. Atquè hæc cùm tantis vallentur præsidijs, neutiquam est dicendus verus Christianæ Religionis propugnator, & cultor, qui ad præfata tria non teneri Monachos, ratione suæ Professionis affirmat; sed vel ad hæresim, vel schisma propensus. Alterum enim eum fateri necesse est, aut credere se in his decernendis, Patres, Ecclesiamquè errâsse, quod hæresim sapit; Aut non obediendum benè asserentibus, quod est schismaticum. Verùm qui *Ecclesiam non audierit* (inquit Christus Matth. 18. 17.) *sit tibi sicut Ethinicus, & Publicanus*. Atqueadeò: non habebit, sed nequè habere potest DEUM patrem, qui Ecclesiam spernit habere matrem, *quæ est columna, & fundamentum veritatis* Apostolo 1. Tim. 3. 15. teste.

10. His ita præmissis, promitte jam tu Dilectissime in Christo Frater Professande vota tua DEO. Dic cum Davide, quod ille habet Psal. 72. 25. & 26. *Quid mihi est in cælo? & à te quid volui super terram? Defecit caro mea, & cor meum: DEUS cordis mei, & pars mea DEUS in æternum.*

EXHOR-

EXHORTATIO VIII. ad plures.

Lætatus est populus, cùm vota sponte promitterent: quia corde toto offerebant ea Domino. 1. Paralip. 29. 9.

1. LÆtamur, & exultamus in Domino Dilectissimi in Christo Fratres Professandi, cùm vos videmus, contemptâ, rerum terrenarum felicitate, exactô annuæ probationis Tyrociniô, ad persolvenda OmnipotentissimoDEO, Religiosa, Paupertatis videlicet Obedientiæ, & Castitatis, accedentes, vota. Accedite in nomine illius, qui vos ad hanc sanctam Societatem vocavit, ego interim de præfatis votis nonnulla breviter adducam. Favete.

2. Matth. 19. 21. dicit ibi Magister Cælestis: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me.* Quid putatis qua mente, qua fronte, quo vultu excepit prædictam, Evangelicus ille dives, doctrinam? Audite Augustinum, & circa hoc satisfiet, quô tenemini desideriô: dicit enim præfatus S. Pater cont. liter. Petit. libr. 2. cap. 105. *Hæc audiens dives, tristis discessit, neglector*

ctor perfectionis, elector defectionis. Aſt defuerunt-nè ideô, in quos unitatis unguentum (Pſal. 132.) tali rerum terrenarum dimiſſione perfectos, tamquam in oram veſtimenti, à capite deſcenderet? Enimverò præter Apoſtolos, & qui cum eis erant, Præpoſitos, & Doctores, plurrima turba, ut legere eſt Act. 4. rerum venditarum pretia ad pedes Apoſtolorum ponebat, & nullus aliquid proprium dicebat.

3. Verùm, ut tantò perfectiùs intelligantur Evangelicæ paupertatis proprietates; verba præcitata: *Si vis perfectus eſſe* &c. diligentiùs expendamus, & certè ipsô principiô deveniemus voluntariam eſſe debere; nam ex involuntarijs nihil beatum. Dum ergo Chriſtus dicit: *Si vis perfectus eſſe.* &c. intelligi debet, acſi diceret: In tuo pono arbitrio, tuæ libertati committo, te electionis hujus dominum conſtituo, non in neceſſitatem traho; attamen conſulo, ut intrepidus, & animô fidenti ſvadentem ſequaris D. Bernardo ſer. 1. in Feſto OO. SS. teſte.

4. Crates quidem Philoſophus, referente S. Hieronymo libr. 3. in Matth. 19. & pleriquè alij omnia ſua reliquerunt, ut ſic expediti mundialibus curis, ſtudio vanitatis poſſent vacare liberiùs, nequè volebant abundare cenſu terrenô, ut abundarent magìs ſenſu ſuô. Hos inter diſcrimen facit illud, quod apud Evangeliſtam

Mat-

Matth. 5. 3. dicitur: *Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cælorum.* Beati pauperes ſpiritu, ſpirituali deſideriô, propter ſolum beneplacitum DEI, & animarum ſalutem. Atqueadeò pauperes beati ſunt, non qui neceſſitate miſerabili, ſed voluntate laudabili ſunt pauperes. Quid namquè prodeſt, ſi eges facultate, & ardes cupiditate? Nôrim (ait quidam) non eſſe laudabile pauperem eſſe, aſt in paupertate, paupertatem amare, & paupertatis inopiam gaudenter, & hilariter propter DEUM ſuſtinere.

5. Matth. 19. 12. Dum Æterna Sapientia Chriſtus JESUS dicit eunuchos, qui ſeipſos caſtraverunt, ut tantò faciliori modo queant lucidas in æterna Sion capeſſere ſedes; quid, amabo, per hoc indicat? Ecce: proponit præmium, invitat ad curſum, tenet in manu virginitatis bravium, oſtendit puriſſimum fontem, & clamitat: *Qui ſitit, veniat, & bibat.* Joann. 7. 37. Non dicit: velitis, nolitis bibendum vobis eſt, atquè currendum; ſed, qui voluerit, qui potuerit currere, atquè potare, ille vincet; ille ſatiabitur.

6. Hoc conſiliô, hac perſvaſione quidam ducti, & excitati, qui Servatoris, præ cæteris amore tenebantur, ſuamquè ſitierunt ſalutem, perpetuam amplexati ſunt caſtitatem, præſcij, quod, *qui cum uxore eſt, ſollicitus ſit, quæ ſunt mundi, quomodò placeat uxori, & diviſus* exiſtat. 1. Cor. 7. 33. Tum quòd nihil adeò ex arce virtutum deji-

ciat animum virilem, quàm blandimenta fæminea, corporumvè ille contactus, sinè quo uxor haberi non potest. Eapropter nonmodò castimoniam amplexi sunt, sed eidem se totos sanctè devoverunt, quod est ad mentem Evangelij seipsum castrâsse, id est, sibi necessitatem à venereis abstinendi, votis emissis injecisse. Nequè enim perfecta est castitas, nisi votô firmetur perpetuô, teste D. Legislatore Augustino, qui cap. 8. de S. virgin, ita habet: *Non ipsa, quia virginitas est, sed, quia DEO dicata est, honoratur, & licèt in carne servetur; spiritûs tamen religione, ac devotione servatur, & per hoc spiritualis est etiam virginitas corporis, quam vovet, & servat continentia pietatis.*

7. Matth. 19. 21. Perfectam, & exactam obedientiam Magister ille cælestis docet Evangelicum Adolescentem, dum illi dicit. *Veni sequere me*, & quod illi, hoc omnibus ad perfectionem aspirantibus intimô suadet, & consulit corde. Christum autem sequi cupientes præter alias virtutes, cumprimis necesse est obedientiam amplexari, cujus illum fuisse studiosissimum testatur ipsa ejus mors. *Humiliavit* enimverò *semetipsum, factus obediens usquè ad mortem, mortem autem crucis*. Philipp. 2. 8. Exemplô ergo Christi Domini, qui descendit de cælo, non, ut faciat voluntatem suam, sed ejus, qui misit eum, Joan. 6. 38. qui venit non ministrari, sed ministrare,

Mat-

Matth. 20. 28. Monachos ad perfectionem contendentes, obedientiæ sanctæ studiosissimos esse oportet, seque totosquantos Superiori subdere regendos, cujus ductu, & auxiliô perfectionis ad quam contendunt, apicem attingant. Nam quilibet Superior est dux, in semitis justitiæ, imò affirmante D. Basilio de const: monac. cap. 23. Christi personam sustinens, ac veluti DEI, & hominum mediator, subditorum obedientiam DEO sacrificans. Hinc:

8. Expedit quemlibet pietatis cultorem perinde ac instrumentum quodpiam utile, & necessarium opifici, ad perficiendam, complendamvè spiritualis ædificij fabricam omnibus in rebus submisse parere, in quibus, ut operam suam navet, rectum esse Antistes judicârit, probâris, senserit; alioquin si id facere abnuerit, obicem ponet, quô minùs spirituale opus compleatur. Et quemadmodum instrumentum pro arbitratu suo non deligit, quid factô opus sit ad juvandam artem; eôdem quoquè modô pietatis cultorem neutiquam convenit ipsum esse pro libitu suo qui sibi deligat opus, ast gubernationem sui artificis prudentiæ, & consilio concedat necesse. Enimverò peroptimè novit, qui modò intelligens Moderator est, uniuscujusquè subditi mores, & affectus, animivè motus diligenter disquirere, & ad hæc accommodatum etiam in singulis remedium adhibere.

9. Hæc ego præmiſi, vos modo Vota Religioſa promittite O DEO Dicite ſinguli cum Auguſtino: *Domine IESU noverim te, & noverim me, nec aliquid cupiam niſi te: ut odiam me, & amem te, quidquid amo, amem propter te; humiliem me, exaltem te, nihil cogitem niſi te: mortificem me, & vivam in te, quæcunquè eveniant, accipiam à te. Perſequar me, ſequar te, ſemperquè optem ſequi te. Fugiam me, confugiam ad te, dignus ſim defendi a te. Timeam mihi, timeam te, ſimquè de electis à te. Diffidam mihi, fidam in te; in nullo afficiar, niſi in te. Aſpice me, ut diligam te; voca me, ut videam te, & in æternum potiar te.*

EXHORTATIO IX. ad unum.

Vovit etiam Votum. Gen. 28. 20.

1. QUod olim Jacob Patriarcha in gratiarum actionem perſolvit Omnipotentiſſimo DEO, hoc tu die hodierna, Dilectiſſime in Chriſto Frater Profeſſande facere animô ducis, dum Vota Religioſa, Paupertatem nimirum, Caſtitatem, & Obedientiam eidem in recognitionem tantæ Majeſtatis nuncupare intendis. Nuncupes illô benedicente; priùs tamen me de ijs quæpiam dicentem audi, & fave.

2. Ac-

2. Acprimùm discursum ordiri aggredior: eodem Passu occurrit mihi Evangelica paupertas, & ultroneè se asseverat illam esse, quæ omnia à se tam possessa, quàm sperata abdicat, ac omnino alienat, sicut Apostoli fecisse perhibentur. *Ecce* (ajunt Matth. 19. 27.) *nos reliquimus omnia*, & primitivæ Ecclesiæ fideles (Actorum 4.) qui integra agrorum pretia, dignitate paupertatis illecti, ac vitæ æternæ desideriô absorpti ad pedes Apostolorum obtulêre. Et hoc ipsum est, quod à desiderante perfectionem, Christus exigit dicens: *Vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me.* Matth. 19 21. Nihil igitur possessionum retinendum est, imò sic abdicanda sunt universa, sicut, quæ venumeunt, & in egenos distrahuntur. *Perfectus Christi servus* (ait Dalmata Purpuratus D. Hieron. in epist. ad Heliod.) *nil præter Christum habet, aut si quid præter Christum habet, perfectus non est, & si perfectus non est, cùm se perfectum fore DEO pollicitus sit, ante mentitus est. Os autem quod mentitur* (Sap. 1. 11.) *occidit animam*, maximè dum, & quando mentitur Spiritui Sancto.

3. Et quamvis paupertas Evangelica ex natura sua hoc exigat, ut omnia abdicentur penitùs; hæc tamen abdicatio non est sufficiens, sed insuper requiritur, ut anhelus perfectionis Christum sequatur, divitijs contemptis, terrenis

spre-

ſpretis, poſthabitis caducis. Sequitur autem Dominum, qui totum ſe illi devovet humili, & ſincero corde, ut per veſtigia ejus gradiatur. Nam, *qui dicit ſe in ipſo manere, debet, ſicut ille ambulavit, & ipſe ambulare* juxta effatum Dilecti Chriſti Diſcipuli 1. Joann. 2. 6.

4. Qualiter autem præcitata S. Euangelij verba D. Hieron. epiſt. ad Julianum interpretetur, audiamus: *Vade* (inquit ille) *& vende non partem ſubſtantiæ, ſed univerſa, quæ poſſides, & da, non amicis, non conſanguineis, non proximis, non uxori, non liberis.* Ad quod addere libet: Nihil tibi ex omnibus metu inopiæ reſerves, nè cum Anania, & Saphira (Act. 5.) damneris, & fac tibi amicos de iniquo mammona, qui poſteaquam defeceris (Luc. 16. 9.) recipiant te in æterna tabernacula, ut nudus nudum (ibid. c. 9. 58.) ſequaris Magiſtrum tuum, ut illum poſſeſſionem habeas, ut cum Propheta Coronato cantare poſſis: *Dominus pars hæreditatis meæ.* Pſal. 15. 5. & ut verus Levita terrenas facultates in cæleſtes theſauros reportes. Et hoc omnino eſt tibi faciendum: *Si vis eſſe perfectus*, ſi Apoſtolicæ dignitatis appetis culmen; ſi appoſitâ ad aratrum manu (Luc. 9. 62.) retrò non reſpicere exoptas; ſi in ſublimi tecto poſitus priſtina veſtimenta contemnere aves. Verbô: ſi Ægypti Dominam fugere in votis habes, etiam

palli-

pallium sæculi (Gen. 39. 12.) in manu ejus derelinque. Nam & Elias ad regna cælorum festinus non valet illò proficisci cùm pallio (4. Reg. 2. 13.) ast mundi in mundo vestimenta dereliquit. Hæc de paupertate.

5. Qualis autem Castitas debeat esse Religiosorum? si pensiculatiùs perpenderimus, inveniemus illam, quâ non solùm corpus à pollutione carnalis concupiscentiæ custoditur, sed & anima ab hujusmodi concupiscentia munda servatur exemplô tot, tantorumquè Sanctorum, & Sanctarum DEI. Et verò: nonnè tam mundus fuit ille, quem fratres in itinere per viam raptû, in arcem castri Sancti Joannis perducunt: ubi variè exagitatus ut sanctum propositum mutaret, mulierem etiam, quæ ad lacefactandam ejus castitatem introducta fuerat, titione fugavit? & hic est Angelicus Ecclesiæ Doctor S. Thomas de Aquino. Nonnè tam mundus fuit ille, qui propter egregiam formam vehementer solicitatus à mulieribus, nunquam de sententia colendæ castitatis dimoveri potuit. Quas diaboli tentationes, ut effugeret, duos, & viginti annos natus Monasterium ingredi statuit? & hic est Mellifluus, Lactєusquè Doctor S. Bernardus. &c. Nonnè tam munda fuit illa, quæ à prima ætate Christianæ fidei præceptis instituta, virginitatem suam DEO vovit. Et cùm postea contra suam voluntatem data esset in matrimonium, prima nu-

nuptiarum nocte, hunc cum sponso habuit sermonē. *Ego in Angeli tutela sum, qui virginitatē meam custodit: quare nè quid in me committas, quô ira DEI in te concitetur?* & hæc est S. Cæcilia. Nonnè tam munda fuit illa, quæ custodiendæ virginitatis tunc maximè probavit leges, cùm propositô conjugiô diu obluctata, sed parentibus tandem morem gerere coacta, in matrimonium tradita prima nuptiarum nocte suasionibus precibusquè impetravit, ut sibi virginitatem colere liceret; deinde verò tanto sponsum puritatis amore inflammavit, ut pari consensu cum intacta conjuge, castitatem emisso votô servandam perpetuò statuerit? & hæc est S. Cunegundis &c. Meminerint præterea virginitatis, & castimoniæ angelicæ custodes, quia cùm Holofernes Judith. 7. 1. innumero Bethuliam obsedisset exercitu; & omnis Israelitarum virtus perturbata languesceret; egreditur castitas oppugnatura lasciviam; & ad interitum superbiæ humilitas sancta procedit. Ille pugnabat armis, ista jejunijs; ille ebrietate, ista oratione. Igitur quod omnis Israelitarum populus facere non potuit, Sancta Vidua castitate perfecit. Eapropter semper corpori tamquam templo Spiritus S. parcendum; nè parva voluptate magna dignitas vendatur.

6. De Obedientiæ verò Religiosæ, vitute, satis dixisse videbor, dum dicam, quòd quemadmodum pastori oves suæ obtemperent, & vi-

am

am quamcunquè ille vult, ingrediantur; ſic & qui ex DEO pietatis cultores ſunt, Moderatoribus ſuis obſequi debent, nihil omnino eorum juſſa perſcrutantes curioſiùs quando libera ſunt à peccato; contrà ea ſummâ animi alacritate, ſummôquè deſideriô perficere. Etenim, ut notat D. Bernardus de præcep. & diſp. imperfecti cordis, & infirmæ voluntatis prorſus judicium eſt, ſtatuta Superiorum ſtudioſiùs diſcutere, hærere ad ſingula, quæ injunguntur, exigere de quibuscunquè rationem, malè ſuſpicari de omni præcepto, cujus cauſa latuerit, nec unquam libenter obedire, niſi cùm audire contigerit, quod fortè libuerit, aut quod non aliter expedire monſtraverit, vel aperta ratio, vel authoritas indubitata.

7. Delicata nimis, imò multùm moleſta Superioribus, eſt talis obedientia: nec planè eſt illa, quàm Regula jubet, eſſe ſinè cunctatione, & ſinè omni mora. Itaquè, ut iterum præfatus Bernardus ſerm. de virtut. obedien. & ejus grad. ſentit; verus obediens paret in omnibus Antiſliti, & ſuo in ſpiritualibus Moderatori, non ſibi ipſi opus deligit, non diſcutit juſſa ejus, mandatum ejus in craſtinam non rejicit diem, aſt aures parat auditui, manus operi, linguam voci, pedes itineri, & ſe totum intrò recolligit, ut mandatum peragat imperantis. Eo proinde affectu

(ſen-

(sensus est D. Basil. Reg. de instit. Monachorum c. 46. de perf. subject.) Superiori semper obediendum, quô esuriens parvulus nutrici obtemperat ad ubera invitanti. Neque etiam Christus D. apud suum Evangelistam Joann. 10. 27. in suis ovibus commendat, quòd lac, vel lanam præbeant, quare, amabo, hoc? Respondet Doctus Sylveira hic q. 6. *In subditis maximè commendatur obedientia. Et vocem meam, inquit, audiunt, non voces: quia non egent duobus, ut sæpiùs illis quidpiam mandetur.*

8. Intellexisti hæc omnia Dilectissime in Christo Frater Professande; modò nîl restat, quàm, ut voveas votum O. DEO; sed priùs dic corde contritó, & humiliato: Agnosco te ô mi DEUS, ut supremum Dominum meum, primum principium, & ultimum finem meum, authorem naturæ, gratiæ, & gloriæ; & profundissima cum humilitate te adoro Dominum vitæ, & mortis, tibiquè sponte sacrifico vitam meam orans, ut non avellar à te in æternum.

EXHORTATIO X. ad unum

Ecce elongavi fugiens, & mansi in solitudine. Psal. 54. 8.

1. SEcessum, & solitudinem suadent tibi Dilectissime in Christo Frater Professande non tan-

tantùm mundi hujus immundi, perversi, & caduci miseriæ, sed & ipsius solitudinis deliciæ. Quid enimverò potest deesse deliciarum homini, cùm illic commoretur, cujus deliciæ sunt, cum filijs hominum esse? Quod per suum Prophetam Jsai. 51. 3 Dominus appromisit dicens *Ponet desertum ejus quasi delicias, & solitudinem quasi hortum Domini, gaudium, & lætitia invenietur in ea.* Unde in hac solitudine de perenni divinitatis fonte limpidissimis consolationibus affluens S. Benedictus, non semel *in uno solis radio totum mundum conspexit.* Quare Hieronymus identidem repetebat: *mihi cætera carcer, & solitudo Paradisus.* Hinc ep. 1. ad Heliod. exclamat : *O desertum Christi floribus vernans! o solitudo! in qua illi nascuntur lapides, de quibus in Apocalypsi civitas magni Regis extruitur. O Eremus familiariùs DEO gaudens! Quid agis frater in sæculo, qui major es mundo? quamdiu te tectorum umbræ premunt? quamdiu fumosarum urbium carcer includit? &c.* Plus dicam: ipse Filius DEI olim (Evangelista attestante Luc. 6. 15.) solus montem ascendit, & pernoctat ibidem, & orat, ut ostendat (Chrysostomo interprete hom. 41. in Joann.) qui DEO vult frui; eum ab omni cura, & sollicitudine, vacare; & quietum locum quærere, oportere.

2. Doctrina hac quàm salutaris, quamquè proficua sit animæ, ad perfectionem christianam aspiranti, vel eô affirmare censeris Dilectissime

in Christo Fater Profitsande, dum te in Solitudine Paulina per Vota Religiosa, Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam, O. DEO in servitium addicere decrevisti. Intentio sancta & solo, & polo placet; attamen, ut tibi liquidò constet, quibûs & quantîs te obstricturum pergis, me interim de præfatis Votis aliqua in medium allaturum ausculta, & fave.

3. Paupertas, quam Religiosæ profitentur Congregationes nihil aliud est, quàm omnium possessorum, & possidendorum sponte propria, ac voluntate ob DEI dilectionem, Christiquè imitationem (Luc. 9. 58.) omnimoda divisio, & alienatio, ita, quòd non nisì simplicem admittat usum necessariorum. Ast, ast (nostri temporis perditionem!) utinam tam multi non deciperentur prætextu horum, dum superfluis, tanquam necessarijs se ingerunt absquè fronte ultrò, citroquè. Hujus bestiolæ cicuratæ morsum venenatum verentes verè Christi pauperes, lubentiori animô perferunt inopiam, quàm abundant; esuriunt, quàm saturantur. Nôrunt enim perbellè vix posse paupertatem concipi, ubi necessitas locô privatur potioritatis, atquè persæpe ibi superfluitatem jactitari, ubi necessitas salvari supputatur. Malunt itaquè indigentiæ subdere lacertos, quàm superflui inuri notâ, nè excidant regno cælorum (Matth. 5. 3.) paupertatis mercede.

4. Pau-

4. Paupertatem Evangelicam essentialem esse Statui Monastico, asserunt Conc. Trid. sess. 25. ca. 1. de statu Monachorum, & Innocentius III. dum allegant, abdicationem proprietatis ita esse annexam vitæ monachali, ut nec summus Pontifex contra eam valeat indulgere Similiter & Magister Cælestis, illi Iuveni Evangelico Matth. 19. 21. consulit: *Si vis perfectus esse, vade, vende, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo: & veni sequere me.* Et quidem ideo vult Christus, ut advertit D. Prosper l. 1. de contemp. vitæ cap. 10. cultores suos omnibus renunciare, propter quæ diligitur mundus, ut exclusâ cupiditate mundi, divina in eis charitas possit augeri, & perfici. Hinc decimas, & primitias frugum, & primogenita, & sacrificia pro populo, vel vota, quæ sibi jussit DEUS offerri, Sacerdotibus, ac ministris constituit distribui debere, ut devotissimo populo vitæ necessaria ministrante, ipsi Pastori, ac Creatori suo liberis mentibus ministrarent, atquè in ejus cultu sinè ulla solicitudine corporis, proficerent, nè terrenis occupationibus implicati in officio suo dignas excubias curare non possent.

5. Quibus verò causis Monachi devotæ Castitatis redantur studiosissimi, nonnullas revelare operæ pretium judicavi. Et quidem primò, ac signanter reminiscantur, velim, se ad eam astrictos esse vinculis votorum, quibus sic strin-

guntur, ut neutiquam semel DEO, liceat transgredi, litatam; non matrimonij Sacramentô, post licet religiosissimè susceptô; non Pontificis indultô, & si summæ in Ecclesia dignitatis ac prærogativæ, super eo impetrato. Nam quod semel supremæ est oblatum Majestati, amplius ad profanos usus converti non potest. Idem etiam palam faciunt, tum enormitas peccati, supplicijquè debiti gravitas (quæ enimverò fuisset simplex fornicatio, eis fit horrendum sacrilegium, seu sacrilega rapina) tum præmij immensitas sua redeuntibus vota repromissi, quæ socordibus haud postremum ad virtutem calcar, seriò considerata, addere solent. Imò necessitatis legem ponunt, quodammodô angelicè conversandi. Etvero:

6. Angelicam planè vitam vivunt, qui ab omni corporis, & mentis contagione longè alienos se probant, Christumquè sectantur Virginem de Virgine natum, virginumquè omnium summè amabilem Sponsum ad sui imitationem omnes invitantem, hoc est, ad Evangelicam paupertatem, castitatemquè perpetuò servandam. *Veni, sequere me.* Matth. 19. 21. *Sunt eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt eunuchi, qui facti sunt ab hominibus. & sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum cælorum. Qui potest capere, capiat.* ibid. ℣. 12.

7. Et

7. Et quid dicam de Obedientia Religiosâ? Sufficiet de illa dicere, quòd sit humilis subjectio, quâ quis spontaneè propter DEUM se totum alterius judicio, ac voluntati subdit, vel, est perfecta propter DEUM abnegatio propriæ voluntatis. Advertendum tamen est, juxta effatum D. Gregorij l. 35 cap. 10 moral. obedientiam quandoquè, si aliquid de suo nihil habeat, minimam esse. Etenim dum, & quando successus hujus mundi eventuum præcapitur prosper, secundusvè, ac locus imperatur superior, is qui ad imperata obedientiæ leges implet affectanter, obedientiæ sibi meritum evacuat, si ad hoc proprij desiderij ductu anhelat. Rursùs: cùm mundi hujus, citharâ in luctum versâ, præcipitur despectus, cùm probra (1 Cor. 4. 13.) & contumeliæ subiri mandantur, nisì hoc anima suasu arbitrij proprij desideret, obedientiæ sibi meritum minuit, quòd ad ea, quæ in hac lachrymarum valle ultimæ sibi sunt sortis, genio reclamante descendat. Debet ergo obedientiæ virtus in adversis aliquid de suo habere, & vice versâ in prosperis ex suo quidpiam omninò non habere; quatenus & in adversis tantò sit gloriosior, quantò ordini divino etiam ex desiderio conjungitur, & in prosperis tantò sit sincerior, quantò à præsenti ipsa, quam divinitùs percipit, funditùs, & radicitùs, gloria ex mente separatur. Quare.

8. Age jam modò Dilectissime in Christo Frater Professande, regni cælestis desiderio succensus, obvijs ulnis amplexeris paupertatem virtutum omnium facilè principem, quam JESUS Christus, non habens ubi caput reclinaret (Luc. 9. 58.) in se consecravit, & Apostolis (Matth. 10. 10.) eorumquè sequacibus (ibid cap. 19. 21) summoperè commendavit. Profitere Castitatem, quæ Angelos facit, & memineris, quòd qui eam, ut par est, servat, Angelus; qui verò perdit, diabolus fit: Ambrosio libr. de Virginib. teste. Vove Obedientiam, ac jugiter recorderis Christum dedisse vitam, nè obedientiã perdidisset. Bernard. epist. 42 affirmante. Esto fidelis usquè ad mortem in tuis votis, ut merearis redimiri coronâ vitæ æternæ. Quod, ut eveniat cordicitùs exopto.

EXHORTATIO XI. ad unum.

Elegi abjectus esse in Domo DEI mei, magìs, quàm habitare in tabernaculis peccatorũ. Psal. 33. 11.

1. NIhil sanctius, nihil laudabilius, quàm mundo renunciare, & in S. Religione operas O. DEO locare. Enimverò quid sunt res mun-

da-

danæ omnes? cinis, pulvis, somnium, fabula, nihil. Regnum huius mundi spectare si velimus, nihil aliud est, præterquam punctum, quô quid angustius? si tempus consideremus, non est, nisi momentum, quô quid contractius? si divitias ejus mensuremus, non sunt nisi terræ glebulæ, quibus quid vilius natura peperit parens? gaudia illius si quispiam gustet, revera si rectè sapit, veritatem fatebitur dicendo, nihil aliud esse quàm evanida somnia, quibus inanius nihil. Respicit oculus præterea; & sensum mentis avertit: audit auris; & intentionem inflectit: inhalat odor; & cogitationem impedit: os libat; & crimen refert: tactus contingit; & adolet ignem. Verbô: deficit vinum in mundi delicijs; extrema gaudij occupat luctus. Iam verò, quæ secum adferat bona Status Religiosus, vel ex ijs uberiùs patebit, quæ ulteriori adducam discursu.

2. Creator ille hominum, & custos, cujus natura bonitas, cujus opus misericordia, ut inquit S. Leo serm. 2. Nativit. nuspiam cessavit, nequè cessat nostram imbecillitatem aptissimis quibusdam adjumentis fulcire, & omnibus divina quædam quasi instrumenta proponere, quibus, si velint, securè & quidem etiam facilè salutem suam operari possint. Hinc enim tot consilia, tot rationes, tamquè varia, ut ita dicam, Domini, ac Salvatoris nostri inventa, quæ in Catholica Ecclesia facie, ad faciem intueri licet, ad

hominem, per se adeò lubricum, ac debilem, vel sustinendum nè cadat, vel si ceciderit, sublevandum, & ad eum roborandum, & confirmandum in omnigena Christianæ legis perfectione.

3. Ex hoc ergo genere, & revera intra limites totius hujus generis, præcipuus est, & maximus Status Religiosus, cujus adeò ingentes utilitates, & bona spiritualia, ut dubiô procul in ijs, quæ dixi, cælestibus consilijs, ac veluti morborum nostrorum medicamentis, rectequè vivendi regulis, nihil huic præferendum, sed nec conferendum videatur. Non enim unam rem, aut unum tempus, unamvè tantummodò functionem, ut pleraquè alia ejus modi beneficia, att vitam totam, & omnes vitæ partes complectitur, nosquè ad omnia perfectæ virtutis munera informat, & non quomodocunquè informat, sed ita, ut de manu inimicorum nostrorum, qui sunt: mundus, caro, sanguis, & dæmon, liberati, serviamus ei, qui fecit nos; qui verus, & solus est nobis Dominus, in sanctitate, & justitia coram ipso omnibus diebus vitæ nostræ.

4. Et quidem præprimis huc omnes extendit vires, ut omnes peccati illecebras, & occasiones procul à nobis removeat, ac arceat, dum nos è faucibus mundi, ejusque conversatione eripit, ac in placidissimo portu, vel potius in arce munitissima constituit, ut tantò faciliùs virile opponamus diabolo pectus, de eoquè, cui

nulla

nulla terrestris potestas resistendo est capax, gloriosum reportemus triumphum. Quô lapide in titulum erectô, & veluti terrâ iis spinis, quæ sementem suffocant, purgatâ illud deinde addit, ut bonum semen spiritualium virtutum jaciat, quarũ tametsi pleræquè cum cæteris etiam Christianis omnibus communes esse possunt, & esse deberent, rari tamen, ut videre est, huic exercitio subscribunt stipulatam: at verò Religiosis ipsamet disciplina, quam profitentur, certiùs, abundantiùs, & firmiùs etiam virtutes præfatas menti, & pectori inserit, utpote quotidianam, imò continuam earum materiam præbens, atquè perpetuâ exercitatione paulatim, & sensim bonos omnes habitus parturit, ac in summa nihil aliud meditari, cupere, aut curare docet, præterquam amare, & timere supremam Majestatem, ejus cultum, & maximam, quæ possit esse, cum DEO conjunctionem.

5. Verùm ad has virtutes, quas communes innui, accedunt nonnullæ aliæ ita propriæ, ut in reliquis vivendi institutis, ne quidem locô gaudeant, ut est paupertas (Matth. 19. 21.) nuditasquè perfectissima, ut obedientia (Matth. 16. 24) & totius propriæ voluntatis abnegatio, ac deniquè contemptus universarum rerum, quibus fictitiè mundus gloriatur, quas Religio S. ita exosas habet, ita despicit, spernit, detestatur, execratur, abominatur, ac conterit, ut etiam

hanc animi constantiam, quâ nihil utilius, aut generosius intellectus humanus adinvenire potest, in genio nostro producat, eamquè dies in dies tantò magìs solidet, quò magìs confirmat.

6. Atquè præter hanc utilitatem, quam quævis anima per se, & propriâ applicatione adipiscitur, adinvenitur etiam in hoc Statu quidpiam longè majus & excellentius ex vinculo concatenato multarum animarum, quô ejusmodi multitudo ita coalescit, ut quasi ex pluribus membris unum corpus effici videatur. Enimverò, qui singillatim excubias agunt, quamquàm sinè omni nota id præstare satagant, non plùs certè capiunt laborantes per noctes, & dies, quàm in unoquoque robur, & vires patiuntur. Ast verò in Religiosa Congregatione adeò unius virtus cum alterius virtute commiscetur, uniusquè opera bona in tantùm communicantur, ut singuli non suis tantùm, sed aliorum etiam divitijs spiritualibus pinguescant, & omnino conjunctione, ac nexu innumerabilia penè commoda in singulos redundent.

7. Et sicut in rerum naturalium artificio hoc O. DEO non postremæ sollicitudinis fuisse miramur stupentes, ut simul cum utilitate, & usu pulchritudinem, ac venustatem poneret sorores, ut in homine, cujus membrorum conformatio, & dispositio non tantùm nata est officia peragere

re cujuslibet motûs, munerisvè, aſt etiam ad ſpeciem, decusquè quoddam, quod facilè cognoſcitur ex fœditate, quæ inversô ac diſtortô quôpiam membrô appareat: cùm ergo hoc ſummâ illâ omnium Artifex ſapientiâ, hocce in naturali ordine tantò inferiori legum obſervârit, tam accuratè, & diligenter, genus; eò magis credibile eſt in Religioſis Inſtitutis, quorum ordo multò ſublimior eſt, adeò utrumquè temperâſſe, ut præter utilitatem, formam quoquè haberent eximiam, quæ ſinè dubio ipſius DEI, Angelorumq; obtutum mirum in modum exhilararet. Evenit in hoc etiam quiddam, ut cùm multis gemmis, atquè unionibus corona, aut opus quodpiam contexitur, in quo non ſolùm ſit pulchritudo illa, quam ſingulæ gemmæ afferunt, ſed ea etiam augeatur, & multiplicetur ex ipſa copia, atquè ex earum inter ſe ordine, & artificioſa diſpoſitione.

8. Quid dicam de illo nervorum, vocumquè modulamine ſvavi? quamquam ſolus ſit; attamen multò delectabiliùs replet aures concentus ſimphoniæ illius, qui plurium ſonorum varietate temperatus æquali inæqualitate ſibi invicem congruit, apteque reſpondet; ſicquè virtus omnis etſi perſe ac quodammodo ſolivaga non poteſt non amari, & approbari, in Religione tamen, propter multorum, in quibus ejusdem virtutis ſplendor elucet, agregationem, multò eam magis enitere, & ſplendere eſt neceſſe. Et ut

pau-

paucis complectar plura: *In humanis rebus, & in hac peregrinatione, nihil tam efficaciter gerit in se imaginem cælestis patriæ, quàm Monastica conversatio, & congregatio divino cultui dedicata* S. Laurentio Iust. de discipl. Mon. c. 7 teste.

9. Atquè hæc, quæ hactenus dixi, altè, velim, menti, & cordi tuo Dilectissime in Christo Frater Professande, resideant, quoad vixeris, impressa, ut semper gratias referas in acceptis O. DEO, qui te millenis alijs, in labyrintho mundi, relictis, ad Religionem S. vocavit ex misericordia sua infinita, hocquè pactô vota tua ex omni parte serves intaminata, donec occurras ei, qui te pro fidelitate tua præmijs beabit æternis.

EXHORTATIO XII. ad plures.

Ite & vos in vineam meam, & quod justum fuerit, dabo vobis. Matth. 20. 4.

1. ANtiqui illi Philosophi, non sublimiori, quàm merè naturali scientiâ imbutô intellectu gloriantes, variosquosquè, illosquè gravissimos, circa finem hominis, admisêre, comisêrequè errores. Fuêre enimverò, qui cum suo

ſuo Anteſignano Ariſtotele ſensêre; ideo hominem in hoc mundo lucis frui uſurâ, ut rerum ampliſſimarum, & nobiliſſimarum contemplatione diſtineatur. Antiſtenes tenebat, finem hominis, in alacritate animi ſitum eſſe. Hæcathus in rerum affluentia: Timon in tranquillitate: Simonides in ſanitate: Epicurus deniquè, omnium abſurdiſſimè, in voluptatibus corporis. Atqueadeò, ſi ex his quiſpiã interrogaretur quare vivis in hoc mundo? reſponderet profectò, unus: ut ſcientijs excolam intellectum; alius, ut auri ſacrâ nitar fame; tertius, ut valetudinis adverſas ad internecionem redigam phalanges; quartus, ut edam, bibam, ludam, & carnis commoditatibus fruar. Sap. 2. 8.

2. Vos Dilectiſſimi in Chriſto Profeſſandi hac in parte quid ſentitis? certè hos nugivendulos craſſè delirare apud vos ipſos judicatis, & longè altiorem finem, ad quem conditus eſt homo, ex præſcripto Eccleſiæ allegatis. Aſt quisnam eſt iſte finis? Reponitis illum eſſe, quem S. Jgnatius Loyola in aureo ſuo exercitiorum ſpiritualium libello adfert inquiens *Creatus eſt homo, ut Domino DEO ſerviat, & deniquè ſalvus fiat.* Atquè huic fini, ut eò faciliùs obſecundemus, omnia mundi, mundo relinquimus, & DEO totis præcordiis in Statu Religioſo operas vitæ noſtræ locare anhelamus. Locetis avibus plùs quam bonis, ego verò encomijs ſtatûs Religioſi,

in-

intentionem vestram, comitabor. Favete.

3. Jure optimô omniumquè concessu ad Statum Religiosum licebit mihi accommodare illud Reginæ Sabæ dictum (3. Reg. 10. 8.) quæ cùm Salomonis famâ excitata fuisset, eum adijt, atquè auditis sapientibus ejus responsis, tum etiã perspectis opibus, divitijs, ædium magnificentiâ, mensarum splendore, ac præcipuè servorum domicilijs, ministrantium ordinibus, eorumquè vestimentis, deniq; è holocaustorum quoquè copia, ita legitur obstupuisse, ut exclamârit: *Beati viri tui, & beati servi tui, qui stant coram te semper, & audiunt sapientiam tuam.* Nam quis verior Salomon, quàm Salvator noster non solùm pacificus, sed & pacificans omnia, quæ in cælis sunt, & in terra?

4. Ille ergo Salomon, in quo sunt omnes thesauri (Coloss. 2. 3.) sapientiæ, & scientiæ DEI, idemquè omnium Rex, ac Dominus, etiam si alios quoque subditos habeat, ij tamen omnium maximè, & verissimè ejus servi nuncupantur, qui videlicet in domo (Tess. 2. 12.) ejus excubias agunt, ejusquè ori semper astant. Atquè hi non alij sunt, quàm Religiosi greges, qui hanc unam ob causam parentes (Matth. 19. 29.) fratres, amicos, domos deniquè proprias deseruêre, ut in ipsius se domum, perpetuumquè famulatum conferrent, & ij quidem in varios ordines tum institutis, tum etiam habitu, vestibus-

que

què diſtincti. Hic ergo regiæ illæ epulæ, id eſt ſolatia, & gaudia interna, & ipſa animi ſecuritas, quæ eſt convivium juge. Hìc holocauſtorum frequentia; enimverò quot Religioſi, tot holocauſta, imò veriùs, quot eorum opera, tot penè holocauſta, quoniam DEO offeruntur, & DEI ſervitijs conſecrantur.

5. Verbô: horum munus, atquè unicum negotium eſt, Salomonis ſui, id eſt, Domini DEI ſui ſapientiæ aures præbere. Etenim nulli alteri operi admovent manum, quàm, ut ſedeant ſecùs pedes ejus (Luc. 20. 39) & audiant verbum illius. Nihil, inquam, aliud agunt, quàm, ut divinæ illi luci aſſiduè inhæreant, nunc orando, nunc meditando, nunc ſalutaribus libris animum erudiendo, vel alijs quàm plurimis modis, queis ab illo bonorum omnium fonte lumen, & robur, ac gratiam, omnia deniquè plenô alveô hauriant (Joann. 4. 10.) bona. Beati igitur, terquè, quaterque felices ij quoquè, qui hìc ſtant coram DEO ſuo, & multò certè beatiores, felicioresquè, quàm illi veteris Salomonis ſervi, cùm tantò majorem, melioremvè Dominum habeant, & ad benefaciendum; ad remunerandum deniquè promptiorem.

6. Atquè meo quidem videri Statûs Religioſi vel utilitas, vel excellentia quædam non ſolùm ex eo conjici poteſt quanta in appretiatione ſit apud Supremam, & incomprehenſibilem

lem Majestatem DEUM; ast etiam quantô odiô habeat illum inimicus ille generis humani, de quo si cum sale ratiocinari velimus, reperiemus illum tot, tantisquè ab eo insidijs, machinamentisquè oppugnatum, ut eo clariùs, faciliusvè constet inter omnes prærogativas; inter omnia bona, inter deniquè omnia dona, quæ cæli hominibus concessêre, nullum uspiam visum fuisse, ad quod evertendum intantùm malitia illius arderet inextinguibili flammâ succensa.

7. Non affero in medium tentationes, & pugnas, quas singulis importunè, quærens, quem devoret (1. Petr. 5. 8.) intentat, solùm verba facio, commemorans illud bellum generale, quod hic contra universum Religiosum nomen acerbissimè semper gessit. Enimverò, si à principio ordiamur, statim ac simul cum Christiana fide, Monastica etiam Disciplina propagari cæpit in mundo, quod fuit aureô Constantini sæculô, atq; ex illis latebris, ac solitudine erumpere, in qua per trecentos, eoquè plures annos antea penè delituerat, hoc observatu dignum memoriæ occurrit; quoscunquè dæmon sceleris sui administros nactus est ad Ecclesiæ navim fluctibus variarum perturbationum agitandam, eosdem etiam primùm, ac præcipuè in hanc quasi Ecclesiæ arcem armâsse, atquè incendisse. Et quidem alij potentiâ, imperiô, armis Religiosæ vitæ cultores

oppri-

opprimere conati sunt: qui hoc non quiverant, fallacijs maledictis, dolosisque fingendis, atquè heresum erroribus disseminandis; alij, ex quibus Julianus ille apostata facilè primarum tenet tantò acerbior, ac nocentior hostis, quò magis omnia nostra interiora nôrat. Non ille quippè ferrô, & cæde; ast quidquid citra sanguinis effusionem habuit, contra Religiosos Cætus, pugnavit.

8. Non absimilis ore Christiani orbis Valentis proclamatur furor; nam hic, generali edictô Monachos omnes armis sumptis milites agere mandavit: quæ quidem res Servos DEI summoperè perturbavit, cùm alij, qui id factitare nollent, acerbissimis pœnis subjicerentur; complures impedirentur, nè se se DEI servitio dicarent, & qui jam dicârant, nè sanctô otiô frui valerent. Ast utriq; ea immanitas carò stetit: Alter enimverò horum post annum penè imperij, & dimidium, hastâ de cælo vibratâ in pugna occisus est: Alter, cùm non multò amplius habenas imperij tenuisset, exercitu fœdè cæsô in villam se se proximam recipiens, igne ab hoste injectô consumptus pœnas temporales præmisit æternis.

9 Hos deinde imitatus est etiam Constantinus Copronymus, vir, ut ferus, ita barbarus, qui, cùm in reliquam Christi Ecclesiam, tum præcipuè in DEI servitium dicatas familias

(quas partim ignominijs, & probris, partim cruciatibus varijs evertere conabatur,) virus suum evomuit. Itaquè magnum in suis malecæptis facit progressum, jamquè sibi triumphum sathan abblanditur; ast DEI providentia suæ causæ semper patrona hunc de medio tollit, ac Leonem primò filium haud paulò mitiorem, demũ Irenem quoquè Imperatricem substituit, cujus aurô, cedroquè notanda pietas, tum in reliquæ Ecclesiæ, tum præsertim Monastici Ordinis plagas sanandas incubuit.

10. Piam matronam hanccè sequitur Nicephorus Imperator Monasticen Professorum omnium studiosissimus, & magnopere amans. Attamen nè illa tranquillitas diuturnior videatur, excitat ecce orci princeps rabiem in Leone Armeno, qui (ut fertur) in Religiosas Congregationes fuit teterrimus, easquè exiliô, vinculis, inediâ, n alis deniquè omnibus affligit. Sed & in hoc divina, simillima ultio apparet; nam à suis militibus in ara ipsa, ad quam confugerat, mactatur, sicquè quorum immitatur immanitatem, exitûs quoquè ingreditur viam.

11. Quæ verò, & quanta ab alijs ejusmodi farinæ, alijs temporum sæculis succelsêre, his tomi annalium pleni redundant, & nimis longus essem illa vel attingendo: interim tamen si hos omnes eventus conferre velimus, nihil aliud inveniemus, præterquàm visam esse Domini DEI nostri

nostri bonitatem, cum averni potestate semper circa Monasticen Institutum certâsse illudquè adversus hanc magìs, magìsquè instituisse, ordinâsse, stabilijsse ita, ut semper vinceret, & nunquam victa gemeret utpote scutô bonitatis cælestis protecta.

12. Optimam sanè partem elegistis Dilectissimi in Christo Fratres Professandi, quando fini vestro in Religiosa Congregatione obsecundare decrevistis. En dicta hactenus, vel illud efficient, quin à tramite illo recto, nequè ad dexteram, nequè ad sinistram vitæ vestræ tractu, declinetis. Quodsi feceritis, felices vos fine vestro adepto, proclamabitis in æternum.

EXHORTATIO XIII. ad plures.

Cùm venissent, qui horâ undecimâ venerant, acceperunt singuli denarios. Matth. 20. 9.

1. RApior in admirationem! & si fas mihi daretur mysteriorum arcana curiosiùs scrutari, vellem revera scicitari, num Evangelicus Paterfamilias non possit justitiam quampiam appellare; quare? quia operarios mercede habet

pares; qui labore dissimiles fuêre. Illi miseri, qui summô manè advenerant, tulerunt pondus, & æstum diei; in sudore, & lassitudine vires exhauserunt: hi ultimi autem in foro, & compitis dimidiâ die otiosi steterunt, & demum ob horarium laborem tantundem mercedis receperunt, quantum illi ob diurnum. An hoc æquitati consonum? Crescit admirationis materies, cum parabolæ nucleum exentero, cortice remotô. Utiquè enimverò per denarium, beatitudinis, præmium intelligitur, æternæ. Sic est D. Legislator Augustinus serm. 59. de Verbis Dom. respondet dicens: *Denarius diurnus, vita æterna est.* Utiquè per diversas diei horas denotantur diversæ hominum ætates? Non aliter affirmat Angelicus Doctor S Thomas Aquinas in Matth. 20. dicens: *Manè nostrum pueritia est: hora tertia adolescentia intelligi potest: nona autem senectus intelligitur: undecima verò ea ætas, quæ decrepita vocatur.*

2. Dilectissimi in Christo Fratres Profesfandi, quacunquè demum hora ad operas locandas in vinea Patrisfamilias Cælestis, hoc est in Statu Religioso, venistis, tantundem mercedis recipietis, quantum & illi, qui longò ante vos huic sancto labori manus admovêre, si vota Religiosa, Paupertatem videlicet, Castitatem, & Obedientiam, quæ modò profiteri, Spiritûs S. gratiâ invocatâ, decrevistis, observaveritis ad unguem.

Quod,

Quod, ut exequamini, illa rogo servetis, quæ de præfatis votis ulteriori adducam sermone. Favete.

3. Quoniam in Paupertate Evangelica primus est gradus perfectionis Christianæ (Matth. 19. 21.) hinc Congregationes Religiosæ hanc primô locô etiam vovere consvevêre. O quot, & quanta hujus exempla, a S. Patribus nobis sunt relicta! Equidem plura & illustrissima, quàm nunc sint, qui eorum imitatores se esse profitentur Enimverò, quid illud significat, quod D. Hieronymus in vita D. Hilarionis refert, dum dicit D. Hilarionem scripsisse Hesechio suo discipulo in hæc verba? *Divitiarum mearum hæres esto, hæ autem sunt: Evangelium, tunica sacca, & palliolum.* Utiquè his eum paupertatis maximè fuisse amatorem, qui necessitatibus proprijs non plus ultra concessit, ostenditur apertè.

4. Quid de Patre Cassinatensium D. Benedicto, Eremi Paulinæ cultores concludemus? qui dum ei esset, quô vitam temporalem sustentaret liberè, despexit adhuc puer aridum cum flore mundum. Hujus paupertatem, vitamquè omnem noscere, qui cupit; Regula, quam scripsit gratiâ cælesti refertus, sinoptim habet. Etenim Vir Sanctus nullopere vitam potuit instituere temporalem, quæ docuit, ab illis alienam.

5. Idipsum sentiendum est de Basilio, Augustino, & Francisco, alijsquè, qui normam vi-

vendi monasticè proposuêre, vel Authores Sanctarum Congregationum fuêre.

6. Quid etiam dicemus de austera paupertate illius, quem Authorem, & Magistrum Eremitarum dicimus, Patremquè nostrum agnoscimus, quam ille à teneris annis palma victum, & vestitum sibi præbente protraxerat ad centesimum decimumtertium ætatis suæ annum. Hunc ut adusquè innumerabilis cætus est secutus, ita & defactò sequitur quemadmodum D. Benedictum D. Winnocius Regis Britonum filius, qui paupertatis pretiô odorequè gratissimô captus, sprevit natalium gloriam, sprevit & patriam, tamquam cum Patriarcha Abrahamo audisset: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram, quam monstrabo tibi.* Gen. 12. 1. Nimirùm, ut vestigijs Patriarchæ sui Benedicti inhærens nudus, nudum sequeretur Christum. Quid hòc factô præstantiùs? Parum ne est regalia dimisisse, regnum, diadema, sceptrum, patriam ipsam, deniquè illustrissimam, ac speciosissimam sponsam, ut pauperrimam viveret vitam? Sanè hìc confunditur illorum superbia, ac ambitio, qui in Monasteriò divitias, mundiquè fastus affectant, atquè sectantur. Hos ita D. Bernardus hom. 4. super: missus est: deplorat: *Video (quod plurimùm doleo) post spretam hujus sæculi pompam, nonnullos in schola humi-*

humilitatis superbiam magìs addiscere, ac sub alis mitis, humilisquè magistri graviùs insolescere, ac impatientes ampliùs fieri in claustro, quàm fuissent in sæculo. Atqueadeò, quod majoris perversitatis subjacet notæ; plerique in domo Monastica non ferunt se haberi contemptui, qui in sua non nisì contemptibiles esse potuêre, ut quia videlicet, ubi juxta meritorum qualitatem promotio dignos consequitur, ipsi locum non promeruêre, saltem ibi honorabiles videantur, ubi ab omnibus honores fugiuntur. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra: ubi ærugo, & tinea demolitur: & ubi fures effodiunt, & furantur. Thesaurizate autem vobis thesauros in cælo, ubi nequè ærugo, nequè tinea demolitur, & ubi fures non effodiunt nec furantur. Ubi enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Matth. 6. 19. &c. *Quicunquè humiliaverit se sicut parvulus iste; hic est major in regno cælorum.* Matth. 18 4 Hinc B. Magdalenæ de Pazzis, Cornelio in Luc. 22. ℣. 26. referente, hoc dogma à DEO datum: *Esto Ordinis Minimorum, & Minimorum minima.*

7. Nomen sanctæ militiæ, qui suum dedêre, Monasticenquè vitam præ sæculari appetiêre, atquè Professione S. approbavêre, hos Castitas in tantum commonitos vult habere, in quantum supra sæculares laicos, quamvis magnâ præstantes dignitate, eminent ordine, ac gradu. Unde hos decet vitæ sanctimoniâ, ac munditiâ,

tum cordis, tum corporis illis longè præstare, tum quod officij, vocationisq; eorum sit quotidie divina tractare, preces, sacrificia pro se, DEIquè populo offerre. *At qui in carne sunt, DEO placere non possunt.* Rom. 8. 8. *Mundamini ergo, qui fertis vasa Domini.* Jsa. 52. 11. *Sancti estote* (inquit Dominus ad suos ministros Levit. 19. 2.) *quoniam ego sanctus sum* Ille autem dicitur esse sanctus, qui expers omnis terrenæ, ac carnalis contagionis ad similitudinem D E I contendit. Exod. 25. 40. Propiùs ad rem pertinet, quod dicantur, sintquè in statu perfectionis, quæ hisce tribus, obedientia, paupertate, & castitate conscenditur tamquam gradibus. Procul enimverò sunt à perfectione, qui cordis, corporisq; munditiam curare negligunt abeuntes post cæpas, & cucumeres mundanæ Ægypti: Numer. 11. 5. qui deniquè tam salutare Magistri Cælestis de servanda castitate perpetua (Luc. 12. 35.) vilipendunt consilium, quod jam factó votô naturam induit præcepti gravissimè obligantis.

8. Indignum revera fore totus judicat orbis, si, qui vivum exemplar virtutum (Joann. 15. 16.) lux mundi (Matth. 5. 14.) sal terræ (ibid. ℣. 13.) esse debent; si, quorum sanctimoniam, ac cælestem conversationem assolent mirari cæteri fideles, & non raró imitari, libidinis venereæ sordibus maculari, carnisquè voluptatibus immergi videantur. Amabo: si lumen tene-

ne-

nebræ sint, ipsæ tenebræ quantæ erunt? si sal insulsum est, nonne omnia insulsa erunt?

9. Verbô: Cordis, corporisquè munditiem amplexatam tenaciùs custodire prorsus, & absquè omni dubio stringuntur, qui de oblationibus Domini sustentantur. Hoc est: Ecclesiæ bonis, populi fidelis eleemosynis, pauperū patrimonijs, quæ non nisi sobriè, ac religiosè conversantibus sunt relicta, ac proinde ijs debita solis. Eapropter, qui in Religione S. indisciplinatè, ac incontinenter vivunt, de illis omni justitia reclamante participant, venenumquè mortis animæ non jam bibunt, sed planè hauriunt. Pagina S. affirmante Levit. 22. 3. 4. *Omnis homo, qui accesserit de stirpe vestra ad ea, quæ consecrata sunt, & quæ obtulerunt filij Israel Domino, in quo est immunditia, peribit coram Domino; ego sum Dominus. Homo de semine Aaron, qui fuerit leprosus, aut patiens fluxum seminis, non vescetur de his, quæ sanctificata sunt mihi, donec sanetur.*

10. Porro Obedientiam Religiosam pensiculatiùs expendere si velimus, fatebimur unô ore cum Basilio in ser. 2. de instit. monast. illam in eo cerni, si subjectum ex consilio Moderatoris, non à rebus modò flagitiosis abstineat, ast si nec ea, quæ cæteroquin laudabilia sunt, sinè sententia illius faciat. Abstinentia enim, & omnis incommodorum perpessio, utilia hæc quidem comparata ad aliquid sunt, at si quis pro-

priæ ſuæ voluntatis ductum ſequens poſtpoſitis conſilijs Superioris ſui his ſe ſe ingeſſerit, quæ collibita genium demulcent, hujus noviſſimus error pejor erit priore, hoc eſt: plùs talis mali perpetrabit, quàm faciet boni; & præmium obedientiæ majus debetur, quàm rectè facto cum continentia. Quis non aſſerat meruiſſe plùs Abraham immolando filium ex DEI præcepto (Gen. 22. 16. 17. 18.) quàm ſi idem opus ſinè præcepto tentâſſet? Et Rechabitarum abſtinentia à vino (Jer. 35. 19.) utiquè ideo Domino DEO fuit grata, quòd eam obſervarînt ex mandato Jonadab filij Rechab patris ſui? Quin imò non alia ratione DEUS Proto-parentes generis humani Adamum, & Evam à ligno ſcientiæ boni, & mali prohibuit (Gen. 2. 17.) quàm, ut obedientia meriti locum inveniret. Neq; enim in paradiſo mala inveniebatur arbor, quã DEUS homini nè contingeret, interdixit; aſt, ut per melius obedientiæ (ut advertit D. Greg. l. 35. moral. c. 10.) homo benè conditus creſceret, dignum fuerat, ut hunc à bono etiam prohiberet, quatenus tantò hoc veriùs, quod ageret virtus eſſet, quantò & à bono ceſſans Authori ſuo ſe ſubjectum humiliùs exhiberet. Operator itaquè ſtrenuus vitæ ſocialis, & communiter DEO ſervientium æmulator pius, ſi uberiorem retributionem æterni meriti, per obedientiæ bonum perci-

cipere exoptat, in hoc solo excellere se cognoscat, si præ reliquis, arbitrio sui Præpositi propriam in omnibus subdiderit voluntatem. Enimverò nec magna lucra jejunij, nec austeræ vitæ studia devotis Christi militibus in Superiorum præcepto valdè pensanda sunt. Nam majoris meriti est charitatis injuncta refectio, jejuniô, propriæ voluntatis imperiô, susceptô. Etenim, qui jussus carnem reficit invitus; jejunij devotione promeretur, & ampliorem obedientiæ mercedem manducando conquirit. Unde peroptimè Samuel 1. Reg. 15. 22. inquit: *Melior est obedientia, quàm victimæ, & auscultare magìs, quàm offerre adipem arietum.* Sacrificijs autem, ac victimis ex eo præponitur; quia (ut inquit S. Gregor. l. 35. mor.) per victimas aliena caro, per obedientiam autem propria voluntas, maximum quid nostrî, mactatur.

11. Attamen quilibet obediens ita debet esse animô comparatus, ut nullâ, etiam difficillimâ re, quæ sibi injungitur, operi manu consignatâ gravatè accedat, aut quibusvè persvasionibus cunctetur, ceu ille, cui est persvasum mercedem sibi copiosam præstò esse in cælis: Atqueadeò, qui imperio dependet ab alieno, hic spe gloriæ oblectetur necesse, omniquè gaudiô, & patientiâ opus Domini, à Vicario ejus imperatum exequatur.

12. Vidistis jam Dilectissimi in Christo

Fra-

Fratres Professandi, quæ secum Religiosa ferunt vota: agite proinde, ut illis vos, in servitium DEI mancipantes, ita tractu vitæ vestræ geratis in societate Religiosa, quòd quamvis defactò novissimi ad vineam Domini vocemini; sitis tamen primi in denario recipiendo, quô gaudia promerentur æviterna.

EXHORTATIO XIV. ad plures.

Quid hìc statis tota die otiosi. Matth. 20. 6.

1. OMnium, quæ in cælo, & in terra sunt, Plasmator DEUS, rerum, produxit quemadmodum hominem ex nihilo; ita non ad nihilum. Enimverò creatos Protoparentes collocavit in paradiso, velut in officina quadam, ad laborem, ut locent operas sinè intermissione. Gen. 2. 15. Hac de ratione nudos, ac trepidos post peccatum tunicis pelliceis vestivit. Et ex hoc genere vestimentorum, quæ mancipijs sunt propria, intuitu, agnoscere poterant se ad laborem destinari. Et hic est etiam sensus Tertuliani, qui libr. de bello ita inquit: *Homo pellitus orbi, quasi metallo, datur.* O posteri Adæ! non vos lateat, quamprimùm lucem conspicitis præsentem, lex hæc lata aures vestras pulsat: *In sudore*

vul-

vultus tui vesceris pane tuo. Gen. 3. 19. Enimverò quemadmodum sol ad lucendum, ignis ad calefaciendum, flumina ad fluitandum, volucres ad volandum &c. ita homo ad laborandum & factus (Gen. 2. 15.) & natus est. Sol sinè luce, ignis sinè calore, flumen sinè motu, volucris sinè volatu monstra sunt, homo sinè labore non homo est, sed monstrum hominis; quia à naturæ suæ ordine recedit. Quod plus est, non tantùm naturæ, ast etiam Authori naturæ contrariatur, qui, dum hominem ad sublimissimum æternæ beatitudinis finem creavit, noluit hunc finem aliter, præterquam per labores, & impensos conatus obtineri. Hinc in Evangelio regnum cælorum comparatur thesauro abscondito in agro (Matth. 13. 44.) margaritæ (ibid. ℣. 45.) sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti (ibid. ℣. 47.) & alijs rebus, quarum inventio, & aquisitio sinè labore haberi haud potest.

2. Dilectissimi in Christo Fratres Professandi! vocavit vos supernus Paterfamilias ex sua infinita, & incomprehensibili misericordia, & bonitate, præ tot, tantisquè alijs, qui mundanarum voluptatum, & vanitatum gemunt sub jugo, in vineam suam, hoc est: ad Statum Religiosum; hinc magna vobis incumbit necessitas, nè quandoquè stetis otiosi: minime verò eritis tales; ast strenuos, diligentesquè operarios vos

pro

probabitis, si vota Religiosa, Paupertatem nimirùm, Castitatem, & Obedientiam, per quæ vos O. DEO ad labores obligatum itis, observaveritis ad ungvem. Quod, ut faciatis, vel illa erunt adminiculô, quæ ulteriori adducam discursu. Favete.

3. Quoniam Evangelicam sectanti paupertatem, perfectio sacrô eloquiô (Matth. 19. 21.) appromittatur; divitiæ autem Gregorij hom. 15 in Evangel. effatô spinæ, verbum DEI suffocantes (Matth. 13. 7) dicantur, nullus in controversiam ibit, eum gratiorem esse DEO, qui paupertatem professus est illis etiam, qui legitimè bonis suis utuntur. Hi enimverò intenti redduntur, ut ea conservent, tueantur, augeant, cum fænore utantur, quod non parum secumfert remoræ ad perfectionem, & sæpissimè animæ certissimam causat perniciem. Hinc Sapiens Eccli. 31. 6. & sequ. inquit: *Multi dati sunt in auri casus, & facta est in specie ipsius perditio illorum. Lignum offensionis est aurum sacrificantium: væ illis, qui sectantur illud, & omnis imprudens deperiet in illo.* Non minùs enim difficilè judicatur terrena tractare, & eorum cupedine non inquinari, quàm manu spinas contrectare, & non vulnerari; ignem infra brachium gestare, & non aduri. Hoc prævidentes quasi ex quadam specula Apostoli relinquunt omnia mundi, mundo (Matth. 19. 27.) ut nudi nudum sequantur

Chri-

Christum. Hoc præsciens Doctor Gentium omnia detrimentum facit, & arbitratur, ut stercora (Philipp. 3. 8. 9.) ut Christum faciat lucri. Hoc prænoscens S. Paulus primus Eremita Pater, & Patriarcha noster Divinissimus amplum patrimonium sororio dimittit, ut hoc pactô DEO, in quo sunt omnes thesauri, (Coloss. 2. 3.) valeat adunari.

4. Veritati hactenus prolatæ manu succurrat adjutrice illud, quòd quemadmodum, qui supra debitum quædam irrogant gratiores sint ijs, qui nudum tantùm debitum deponunt; ita qui supra præcepta DEI addunt impletionem consiliorum divinorum longè existunt acceptiores ijs, qui mandatis DEI pro virili satisfacientes, negligunt ejus consilia, alioquin sanctissima, atquè contendentibus ad perfectionem necessaria omnino· Inter hæc autem consilia non postremum tenet locum Evangelica paupertas, quam grande admodùm, ac præclarum consilium D. Legislator Augústinus appellat. Dicit enim epist. 89. in Matth. 19. *Ego, qui hæc scribo perfectionem*, (*de qua Dominus locutus est, quando ajt diviti adolescenti:* Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cælo, & veni, sequere me) *semper adamavi, & non meis viribus sed DEI gratia adjutus, sic feci: nequè enim qui dives non fui, ideo minus*

nus imputabitur, nam neque ipsi Apostoli, qui priores hoc fecerunt, divites fuerunt. Sed totum mundum dimittit, qui & illud, quod habet, & quod optat habere, dimittit. Quantum autem in hac via perfectionis profecerim, magis quidem ego novi, quàm quisquam alius homo: sed magis DEUS quàm ego. Et ad hoc propositum quantis possum viribus alios adhortor, & in nomine DEI habeo consortes, quibus hoc per meum ministerium persvasum est, sic tamen; ut præcipuè sana doctrina teneatur; nec eos, qui ista non faciunt vanâ contumaciâ judicemus, dicentes nihil prodesse, quòd pudicè, quamvis conjugaliter vivunt; quòd domos suas, & familias christianè regunt, quòd operibus misericordiæ thesaurizant sibi in posterum; nè ita disputando non scripturarum sacrarum tractatores, sed earum accusatores inveniamur. Itaquè *beatus vir, qui inventus est sinè macula, & qui post aurum non abijt, nec speravit in pecunia, & thesauris. Ideo stabilita sunt bona illius in Domino, & eleemosynas illius enarrabit omnis Ecclesia Sanctorum.* Eccl. 31. 8. 11.

5. Dovotæ castitatis professores eandem violant, qui carnalis luxuriæ amore mulieribus afficiuntur, imò hic eò magis est mæchatio censenda, quò viciniùs ad ipsum actum accedit. 2. Petr. 2. 2. Rursus; qui habent oculos plenos adulterij, & incessabilis delicti. Qui intuentur mulierem, ut concupiscentiam in se foveant, & pascant, etiam si actum nolint cum ea perficere.

De

De talibus Dominus apud suum Evangelistam Matth. 5. 28. dicit: *Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo. Cùm se invicem* (inquit D. Legislator Augustinus in Regula sua cap. 5.) *sibimet etiam tacente linguâ conspectu mutuô corda nunciant impudica, & secundùm concupiscentiam carnis alterutrô delectantur ardore, etiam intactis ab immunda violatione corporibus, fugit castitas ipsa de moribus. Hujusmodi oculi* (ajt Tertull. de veland. virgi.) *volent virginem visam, quales habet virgo, quæ videri volet. Invicem eadem se oculorum genera desiderant. Ejusdem est libidinis videri, & videre. Tam sancti est viri suffundi si virginem viderit, quàm sanctæ virginis si à viro visa sit.*

6. Religiosi, mulierum, ut vitent omni solertiâ aspectum docet luculenter D. Hieronymus Rusticum Monachum Epist. ad eundem in hæc verba scribens: *Matrem ita vide, nè per illam alias cogaris videre, quarum vultus cordi tuo inhæreant, & tacitum vivat sub pectore vulnus. Ancillas, quæ in ejus obsequio sunt, scias tibi esse in insidijs.* Eapropter peroptimè facit, qui avertit oculos, à conspectu mulierum cavens nè mors ascendat per fenestras (Jer. 9. 21.) oculorum, & oculus deprædetur animam Thren. 3. 51. quemadmodum olim fuisse legitur Davidis casus, 2. Reg. 11. 2. duorum senum Babylonicorum, Daniel. 13. 8. simulquè impiæ mulieris

dominæ casti Josephi, Gen. 39. 7. qui ad profundum malorum præcipitium per vanitatem, ac libertatem oculorum provenerunt. Hoc præcipitum sibi suisquè timens D. Augustinus non est passus, referente Poss. in vita ejus cap. 16. intra domum suam ullam fæminam conversari, vel manere, imò nec propriam sororem viduam DEO famulantem. Hinc irreligiosè admodùm agit, qui conversationem fæminarum cane magis ac angue non fugit. Deprædari desiderat, qui thesaurum publicè portat in via quemadmodum: ita mulierum consvetudinem vitare, qui non studet, actum est castitati providisse.

7. Refert Zonaras Jsaacium Commenum Jmper. perregrè profectum in morbum incidisse. Consultatum de remedio; & à medicis, qui corporum magìs, quàm animæ, curam habere solent, consultum, ut consvetudine mulieris morbum levaret. At is fidei à se datæ memor, cum periculo mortis recusavit. Narrat item S. Nilus: juxta Sinam in Arabia montem cùm à barbaris Saracenis, sancti quidam Monachi interficerentur, inventus quidam juvenis, qui amore castitatis occidi potius maluit, quàm vestem exuere, cùm nunquam à se visum nudum corpus suum diceret. Quid dicemus de Edmundo Cantuar. Ep.? Utiquè hic adhuc adolescens ab impudicis fæminis, ad impudicos amores sapè

invi-

invitatus, admirandâ ſemper conſtantiâ repugnavit; ſemel etiam virgis inſidiatricem excipiens, ad frugem correxit. Utiquè & Bernardus Senenſis, cùm jam præſenti periculô perdendæ pudicitiæ ſtringeretur; inter anguſtias, & preces, hoc unicum reperit conſilium: flagrô, quod ad manus tunc erat, invitantem fæminam excepit, & in ea omnem libidinem extinxit. Thomas Aquinas titione ex igne raptô fortiter pugnat: Volſtanus fæminæ ad flagitium allectanti colaphum infligit.

8. Quî obedire debeant Religioſi, fortè nonnemo ſciſcitabitur? Accipiat: animô nempè virili omnia quamquam contraria, ac etiam duriſſima juſſa Superiorum ſuſcipiendo, atquè, ut ſuum ſortiantur effectum ſtudiosè annitendo, exemplo Chriſti, qui usquè ad mortem crucis factus eſt obediens Patri Cæleſti; Philipp. 2. 8. & Apoſtolorum, qui duriſſimis, periculoſiſſimisquè, ut ſui Magiſtri in tuto mandata ſervarent, legationibus functi ſunt. Deinde exigit vera obedientia, ut ſibi deligat quis, in quibus obediat. Qui enimverò ocultè allaborando ſatagit, ut quò appetitus genij propellit, ibi ſiſtat arbitrium Prælati, muſcipulam non ſubterfugit. Obediens enim nullatenus poteſt dici, nequè eſſe, qui propriæ præſtat obſequium voluntati, & non Superiorum ſuorum. Hebr. 13 17.

9. Jtem cum gaudio, & alacritate debent

Religiosi suo Superiori obedire; hilarem enim datorem diligi à DEO Paulus 2. Cor. 9. 7. affirmat, & Bernardus serm. de virt. obed. & ejus gradib. inquit: *Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus, multùm colorant obedientiam obsequentis: nubilosa corporis compositio, & facies tenebris obfuscata, devotionem ex animo discessisse significat.*

10. Præter hoc Religiosi suo Superiori absquè omni mora, absq; omni tergiversatione debent esse obedientes. *Fidelis enim obediens*, inquit Cassinatensium Pater S. Benedictus in Regula sua cap. 15. *fugit crastinum, ignorat tarditatem, præcipientem propemodum prævenit.* Atqueadeò taliter obedientem legimus illum Monachum, qui, dum vinum de cado in urnam promeret, & ab Abbate vocatus relictâ urnâ festinus cucurrit, vinum verò sicuti fluebat repletâ urnâ non est effusum, sed ita stetit, ac si gelu concretum esset, donec ille reversus cadi foramen obturaret. Hocce tam magnô miraculô quid, amabo, commendatur? Certè nil aliud, quam obedientiæ professæ omnigena, quæ tantum esse potest promptitudo.

11. Adhæc obedienti necessariam esse humilitatem, animiquè submissionem docet S. Benedictus inquiens: *Monachus ad omnia, quæ sibi injunguntur velut operarium malum, & indignum se judicet dicens cum Propheta:* Ad nihilum redactus sum, & nescivi. Ut jumentum factus sum apud

te, &

te, & ego semper tecum. *Psal.* 72. 21. 22. Ac deniquè in obedientia jugis perseverantia intertenenda exemplô Joannis Abbatis, qui, ut narrat Cass. libr. 4. de instit. cap. 24. 25. 26. totô annô lignum aridum, & putridum bis in die aquam indesinenter per duo ferè milliaria apportans rigavit, ut sui Institutoris mandatis, quæ videri poterant parùm rationabilia, obsecundaret. Hujus obedientia alijs exemplis, alias comprobata est: ut, quod saxum, multis turbis immobile, ipse ex obedientia solus, tanto conatu studuerit movere, ut totus in sudores effunderetur. Pro coronide ponamus Christi exemplum, qui DEO Patri, à quo de cælo in terras fuerat missus, etiam usquè ad mortem, Paulô Philipp. 2. 8. attestante, obedivit. Enimverò incassum bonum agitur, Gregoriò in moral. docente, si ante vitæ terminum deseratur, nam & frustra velociter currit, qui deficit priusquam venerit ad metam. Hinc Paulus in spiritûs dulcedine epistolæ 1. cap. 9. ℣. 24. suos Corinthios cohortatur dicens: *Sic currite, ut comprehendatis.* Et Evangelista Domini Matth. 2.4. 13. inquit: *Qui perseveraverit usquè in finem, hic salvus erit.*

12. Videte jam modò Dilectissimi in Christo Fratres Professandi vosmetipsos, ne perdatis, quæ votis Religiosis, Paupertate, Castitate,

 & Obe-

& Obedientia operabimini; ast tales vos probate, quos merces plena præstoletur in cælis. Quod, ut eveniat, totô pectore exopto.

EXHORTATIO XV. ad plures.

Cùm sublevâsset JESUS oculos, & vidisset, quia multitudo maxima venit ad eum, dixit ad Philippum: unde ememus panes, ut manducent hi? Joann. 6. 5.

1. Dies illa, quâ Omnipotentissimus rerum omnium Creator mundô è nihilo productô benedictionem suam Divinam primâ vice impertijt, erat quinta dies creationis; ibi volatilibus cæli, & piscibus maris benedixit, præcepitquè: *Crescite, & multiplicamini.* Gen. 1. 22. Hæc res haud modicam consideranti parit admirationem! Etenim quare non & illis operibus primorum quatuor dierum sit benè precatus? Utiquè ibi producta jam erant magna mundi luminaria sol, & luna, stellæ cum firmamento, elementum aquæ, & terræ cum innumeris arboribus, herbis, plantis, & lapidibus? Nonne hæc omnia tam indigentia, quàm digna erant.

rant, quibus DEUS ſuam benedictionem non negaret? Cur ergo hæc prærogativa benedictionis primùm obtigit piſcibus maris, & volatilibus cæli? Affert rationem Joſephus de Barzia ſerm. 46. n. 22. dum dicit: ideò Dominum DEUM primi quatridui creaturis non benedixiſſe, quia vitâ carebant; contrà verò benedixiſſe operibus quintæ, aliarumquè dierum; quia erant creaturæ viventes: adeoquè indicare voluiſſe optimum DEUM, quòd benedictionis ſuæ largitatem, beneficiorumquè ſuorum ubertatem illis ſolùm animabus, quæ gratiæ vitam habent, non autem illis peræquè, quæ vitâ hac ſpirituali carent, ſoleat impertiri.

2. DEUM, Patrem eſſe omnium, nullus negare poteſt. Nam ille, Evangeliſta Matth. 5. 45. atteſtante ſolem ſuum oriri facit tam ſuper bonos, quàm ſuper malos; attamen etiam hoc nulli ſubjacuerat adusquè, nequè in futurum ſubjacebit, dubio, quòd erga malos contractâ manu quaſi Vitricum, erga bonos liberalem Patrem ſe exhibeat; illos mille infortunijs flagellat, iſtos beneficijs cumulat mille. Eapropter indubitanter quisquè ſibi perſvadeat, velim, Evangelicam multitudinem, quam Chriſtus, multiplicatis prodigiosè panibus pavit, fuiſſe juſtos ut plurimùm homines, & in DEI gratia conſtitutos, idquè deſumitur ex hiſce rationibus; primò, quia mira cum patientia, & inediæ

diæ tolerantia Christum secuti sunt; secundò, quia ejus doctrinis, ac prædicationibus imbui; avebant; tertiò tandè, quia pro vero Messia, & cælitùs misso mundi Redemptore eum habebant.

3. Dilectissimi in Christo Fratres Professandi! ut DEUM semper Patrem; & nunquam Vitricum experiamini in largienda vobis cælesti benedictione, huc vires conferte omnes, ut Vota Religiosa, Paupertatem videlicet, Castitatem, & Obedientiam, quibus vos O. DEO obligare decrevistis, illæsa semper servetis. Quod, ut eò alacriùs faciliùsq; faciatis, quò magìs illis stringemini; his, quæ ulteriori adducam discursûs tractu, patientes aures præbete, & favete.

4. Quòd Paupertas Religiosa seu Evangelica unanimes, & unius moris faciat multos; luce clariùs patet. *Multitudinis credentium erat cor unum, & anima una.* Actor. 4. 32. Quare hoc? Quia nullus *eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Hinc non mirum, quòd ibi cor unum, & anima una, ubi nullus propria quærit. Hanc unanimitatis svavitatem admirans Regius Propheta David spiritu liquidus modulatur: *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum, habitare fratres in unum. Quoniam illic mandavit Dominus benedictionem, & vitam usquè in sæculum.* Psal. 132. 1. 3. Reverâ ticubi

copi-

copiam benedictionis profundit, id amplissimè facit DEUS, ubi complures sic vivunt; sic in unum convenêre, ut unum cor tantùm, unamquè animam efficiant, imò sint unum, quomodò DEUS Pater, & DEI Filius (Joann. 17. 11.) unum sunt.

5. Porro quòd prædictæ sanctissimæ unionis, & unanimitatis sit parens fæcunda, ipsa voluntaria juxta Magistri Cælestis (Matth. 19. 21.) consilium paupertas, vel hinc patet; quia omnia seminaria dissensionum, iræ, invidiæ, rixæ, superbiæ, intemperantiæ, aliorumvè peccatorum extinguit, ac radicitùs evellit, & virtutes inserit, atq; suscitat illorum locô. Enimverò sicut ex una radice multi rami, & multa folia prodeunt; ita ex spontanea paupertate multæ virtutes generantur. Nam, cui voluntaria est apprimè paupertas, erit misericors perlargitatem, non tenax per avaritiam; erit deniquè, & consequenter & mitis, quia non divitijs inhiat jactantiæ ergo; qui paupertatem diligit cum humilitate; erit insuper & pacificus, quia non est occasio rixandi, ubi non est voluntas aquirendi. Verbô paupertatem professam illæsam servare, qui allaborat conatu indefessô habet munditiam cordis: sicut enim is, qui post divitias abivit, animô est non nisì turbulentus; ita iste sollicitus quæ sunt Domini, quomodò placeat DEO. 1. Cor. 7. 32. In summa provehitur ad summum

ſaſtigium perfectionis. *Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes.* Matth. 19. 21. Ampliùs ſimilis efficitur Chriſto Domino Filio DEI, qui cum dives eſſet, hominis gratiâ factus eſt egenus. 2. Cor. 8. 9. Deſcendit namquè ab inenarrabilibus divitijs, & veniens in hanc lachrymarum vallem, nec iſtas, quibus mundus gloriatur, divitias habere voluit; aſt in tanta paupertate venit, ut natus ſtatim poneretur in præſepio, quia ei locus non erat in diverſorio. Luc. 27. Deinde quem latet, quoniam filius hominis non habuit, ubi caput reclinaret? Luc. 9. 58. *Paupertas* (ajt Bernardus ſerm. in vig. Natalis Domini) *non inveniebatur in cælis, porro in terris abundabat, & ſuperabundabat hæc ſpecies, ſed neſciebat homo pretium ejus. Hanc Filius DEI concupiſcens, deſcendit, ut eam eligat ſibi, & nobis ſua æſtimatione faciat ipſe pretioſam.*

6. Caſtitatem olim DEO dicatam illæſam haud ſervant, hocquè pactô cæleſtem minimè merentur benedictionẽ illi Religioſi, qui turpia, & fæda non abhorrent loqui. Hinc ſanctè non minùs, ac ſalutariter Gentium Doctor ſuos Epheſios cap. 5. ℣. 3. & ſequ. cohortatur dicens: *Fornicatio autem, & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet ſanctos; aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurilitas, quæ ad rem non pertinet; ſed magis gratiarum actio. Turpe verbum* (inquit S. Hieronymus in epitaph. D. Pau-

Paulæ) *atque lascivum nunquam de ore virgineo profundendum est, quibus signis libidinosus animus ostenditur, & per exteriorem hominem interioris hominis vitia demonstrantur.* Hæc facientes materiam suggerunt concupiscentiæ suæ. Qui nisì concupiscentiæ morbô corrupti essent, nuspiam similia loqui, in se paterentur. Qui, si castitatem professam illæsam custodire conarentur, benedictionemquè cælestem majoris facerent, ac DEUM nunquam Vitricum, sed semper Patrem experiri allaborarent, talia cane pejus, & angue abominarentur.

7. Succendunt rursum concupiscentiæ focum, qui delectantur fæminarum conversatione, frequentatione, & colloquijs. Nam, quemadmodum impossibile paleam prope admoveri igni, quin illius calorem persentiscat, & incendia concipiat; ita qui hujusmodi oblectantur, nequaquam possunt esse absquè detrimento castitatis. Quare D. Basilius de const. monas. *Fugiendæ* (inquit) *cumprimis congressiones cum mulieribus, collocutionesquè, nequè ad eas unquam accedendum, nisì cum gravissima nos ad eas accedendi necessitas compellit, & aliter facere non possumus. Atquè ipsa ubi nos necessitas adegerit, ab ipsis non secus atquè ab igne cavendum est: Adeò, ut ocyssimè nulla mora nos ab illis extricemus.* Etverò: nocivum est genus fæmina, janua diaboli, via iniquitatis, percussio scorpionis; flamigerô enim igne percutit

cùm

cùm proximat, & velut ſtipula ignem incendit.

8. Peccant proinde contra caſtitatis votum Religioſi, quiqui non verentur fœminas charas (ut ajunt) habere, quas deinde ſolent frequenter viſitare, vel ab eis viſitantur: Unde impudentior facta eorum caſtitas, audet liberiùs ſermonibus impudicis, oculis, riſu, cantilenis (prætereo alias diſſolutiones corporis, & animi) ſe paſcere, & in propriam pernitiem recreare. At nimis quàm pernitioſum eſt ſic carni indulgere, ut anima jugulum præbeat, & multis modis damnationi obnoxia reddatur; nec una ſolùm, ſed & illæ, quæ ejusmodi laſciviam, jam audiunt, jam vident.

9. Cæterùm, quod attingit Obedientiam profeſſam, noverit quilibet Religioſus eam debere eſſe talem, quæ largiori voluntate feratur in latitudinem charitatis, quæquè ad omne illud, quod Superior injungit, ſpontaneo vigore ſit liberalis, ac quæ ſit alacris animi modum non conſiderans, & in infinitam ſe quôdam modô extendens libertatem contrarijs, quæ geniô propriô ſuggeruntur, rationibus ſuperatis.

10. Atquè hæc ſunt illa, quæ pro parte Votorum Religioſorum hactenus dicta ſi obſervaveritis Dilectiſſimi in Chriſto Fratres Profeſſandi, non tantùm illa per vos DEO oblata in tuto erunt, aſt & hic vobis ſuas benedictiones cæleſtes tamquam Pater ſemper largietur.

eri-

eritisque digni, qui olim audiatis: *Venite benedicti, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Matth. 25. 34. Quod, ut eveniat, candido pectore exopto.

EXHORTATIO XVI. ad unum.

Jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet. Psal. 54. 23.

1. QUi rem superficialiter solùm expendunt haud immeritò Sponsæ in Canticis succenseri posse arbitrantur; quòd Sponsum suum indignâ planè, ac rustica, ut ita dicam, similitudine capreæ sit ausa comparare: *Similis est Dilectus meus capreæ.* Cant. 2. 9. Quid? non habuitne in laudem Sponsi nobiliorem comparationem? ast, qui rem accuratiùs penetrat, invenit non ita animal præfatum quàm ejus proprietates à comparatione minimè discrepare. Enimverò quæramus ex Origene, & dicet nobis capream habere duas qualitates admodùm mirabiles, & laudabiles valdè; harum una velocissimus cursus, altera acutissimus visus observatur. Nam hæc non tantùm præruptos montium anfractus velocissimô cursu pervagatur; sed etiam è summis rupium apicibus subjectas valles accuratissimô visu contuetur. 2.

2. Hancce utramquè qualitatem in eminentissimo gradu continet Sponsus, id est, Providentissimus DEUS. Hic namquè de sublimi illo cælorum habitaculo omni die, omni horâ, omni momento nostras indigentias, nostras deniquè necessitates considerat, perspicacissimô oculô aulas Principum, Nobilium castella, militum castra, opificum tabernas, rusticorum gazas, pauperum tuguria, Religiosorum deniquè Domicilia perlustrat, & ubi indigentiam nostram conspicit, velocissimè accurrit, opem ut ferat. Origene hom. 3. in Cant. teste: *Currit autem, ut inveniat, & præveniat eos, qui suâ Providentiâ indigent.*

3. Hæc veritas cui suspecta videtur, consulat Evangelistam Joann. 6. 5. & satisfactus accipiet, quia vix montem conscendit JESUS, & famelicam sequacium multitudinem conspicit, illicò eos prodigiosô pane pascit, & quidem tantâ multiplicitate, ut plùs sit superfluum, quàm distributum. Toletus ap. Mans. Ærar. Evang. Dom. 4. Quadr. putat longè plures, quam duodecim cophinos reliquijs posse compleri, quas nimirùm manducantes secum asportant domum, & in miraculi memoriam asservant. Reverâ non est dubium, quin viri, mulieres, pueri, ac puellæ fragmenta secum ferant, & notis, vicinis, fratribus, & amicis unà cum deprædicatione miraculi commonstrent. Mox, ut olim cælitus

admo-

admonetur Antonius Paulum ſe, properaret inviſere, meliorem, ad adventum illius militibus ſuis Chriſtus duplicat annonam.

4. Dilectiſſime in Chriſto Frater Profeſſande! monitum te volo habere, nè quandoquè illis annumereris, qui Providentiæ DEI diffiſi, immoderatâ anxietate ſeipſos excruciant dicentes identidem: *Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quô operiemur?* Matth. 6. 31. Vivit adhuc ille DEUS, qui populum ſuum pavit prodigiosè, vivetquè in æternum, & ſciet te his omnibus indigere; aſt hoc unicum conſidera, huc ſollicitum affer conatum, ut Vota Religioſa, Paupertatem ſcilicet, Caſtitatem, & Obedientiam ſemper, & ex omni parte intaminata ſerves. Quod; ut exactiùs præſtes, vel illa erunt adjumentô, quæ ſubſequò adducam diſcurſu. Fave.

5. Minimè aberrabo, dum per paupertatem Religioſam ſeu Evangelicam DEUM ipſum, tamquàm hæreditatem propriam, aſſeram poſſideri licere. Ita enimverò inquit D. Proſper libr. 2. de vit. contempl. *Quem poſſidendi delectat ambitio, DEUM, qui poſſidet omnia, quæ creavit, expedita mente poſſideat, & in eo habebit, quæcunquè ſanctè habere deſiderat, ſed quoniam nemo poſſidet DEUM, nisi, qui poſſidetur à DEO, ſit ipſe primitùs DEI poſſeſſio, & efficietur ei DEUS poſſeſſor, & portio.* Et quid eô feliciùs, & beatiùs

cui

cui efficitur Conditor census, & hæreditas illius dignatur esse Divinitas, si modò eum sanctis operibus colat, omnes fructus ex eo percipiat, & nihil terrenum cum eo possideat? Nam omnium Conditor, cui nihil eorum, quæ fecit potest æquari, non dignatur cum his, quæ condidit possideri. Dein, quid ultra quærit, cui ipse, in quo sunt omnes thesauri (Coloss. 2. 3.) non sufficit?

6. Hunc plenariè possidebat, & ab illo totaliter possidebatur ille. qui in spiritu occinebat: *Portio mea Domine, dixi, custodire legem tuam* Psal. 118. 57. & *Dominus pars hæreditatis meæ, & calicis mei, tu es, qui restitues hæreditatem meam mihi.* Psal. 15. 5. Ast & ipse quum dicit Deut. 18. 1. non dabitis partem filijs Levi inter fratres suos, ego Dominus portio eorum luculenter ostendit, quòd hi, qui terrenæ hæreditatis contempserunt portionem, DEUM mereantur spiritualiter possidere, cujus ditati muneribus, omnia quæ præclara habentur in hac lachrymarum valle. fastidiunt, & ipsum possidere, & vicissim ab ipso possideri; eô solô, & solùm perfrui, atquè illi inseparabiliter adhærere (Psal. 72. 28.) medullis exoptant totis.

7. Verumenimverò, non tantùm paupertas voluntaria fæcunda est parens bonorum spiritualium, ast & temporalium, quæ adeò per eam (*Concordiâ enim*, inquit Salustius de bello Jugurt.

gurt. *quæ est primus paupertatis fœtus, res parvæ creverunt, discordiâ maximæ jam dilabuntur*) aucta sunt, ut tandem exuberatione superflua perniciosissimis stimulis, suffocaverint matrem suam, omnium virtutum radicem præstantissimam, paupertatem. *Amen dico vobis* (ajt Christus Luc. 18. 29. 30.) *nemo est, qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut uxorem, aut filios, propter regnum* DEI, *& non recipiat multò plura in hoc tempore, & in sæculo venturo vitam æternam.* Hujus equidem promissionis virtute in immensum constat excrevisse Monasteriorum facultates.

8. Ast nîl conferunt de facto, neque uspiâ contulêre ad hanc felicitatem, a quibus exulat spiritûs paupertas. Quare Bernardus in Cant. cant. 77. *Non omnes sunt amici sponsæ, quos hodie sponsæ hinc inde assistere cernis, & qui (ut vulgò ajunt) eam addextrare videntur. Pauci admodùm sunt, qui non, quæ sua sunt quærunt ex omnibus charis ejus: diligunt munera, nec possunt pariter diligere Christum, quia manus dederunt mammonæ. Intuere quomodò incedant nitidi, ornati, circumamicti varietatibus, tamquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quemquam talium repente eminùs procedentem aspexeris, sponsam potiùs putabis, quàm sponsæ custodem? Unde verò hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam, rerum splendorem, mensarum luxuriem, congeriem vasorum argenteorum, & aureorum, nisi de bonis sponsæ? inde est, quòd illa*

inops, pauper, & nuda relinquitur, miseranda facie, inculta, hispida, exangui. Propter hoc non est hoc tempore ornare sponsam, sed spoliare; non est custodire, sed perdere; non est defendere, sed exponere; non est instituere, sed prostituere. - - Leviora loquimur, majora majus manet judicium. Sine causa tamen vel his, vel alijs immoramur, quia non audiunt nos: sed & si literis ista fortassis mandentur, quæ dicimus; dedignantur legere: aut si fortè legerint, indignabuntur mihi, quamvis sibi rectiùs hoc facerent. Hucusquè Sanctus Bernardus.

9. Succendunt fomitem concupiscentiæ carnalis, quod utiquè non est intaminatam olim professam, DEOquè pollicitam servare castitatem, pretiosum qui tempus pietati, studijsquè sacris debitum, literis conscribendis impendunt, quibus mulierum erga se provocent amorem, & qui idipsum munusculis quibuslibet attentant. *Crebra* (inquit Dalmata Purpuratus D. Hieronymus in epist. ad Nepot) *munuscula, & sudariola, & fasciolas & vestes ori applicitas, & oblatas, & cibos degustatos, blandasquè, & dulces literulas sanctus amor non habet. Mel meum, lumen meum, meumquè desiderium, &c. Omnes delicias, & lepores, & risu dignas inurbanitates, & cæteras ineptias amatorum erubescimus in comædijs, in sæculi hominibus detestamur, quantò magis in Clericis, & Monachis?*

10. Huc referuntur scripta legentes leviora, & impudica, ut amatoria Virgilij, Ovidij,

Mar-

Martialis, & aliorum levium authorum. *Nunc* (ajt memoratus D. Heron. ad Damasum super Evang. de filio prodig) *Sacerdotes*, nos addamus Monachos, *omissis Evangelijs*, & *Prophetis*, *videmus amatoria legere*; *Buccolicorum versuum verba canere*, *tenere Virgilium*, *Dæmonum cibus*, *carmina Poetarum* Nîl dico hìc de illis, qui, ut mulierum amorem sibi concilient, componunt verba, vestes, gestus, &c. incedunt què ornati, ut similitudo templi totô corporis habitu ad sæculum amicti; qui mentem fœdissimis cogitationibus maculant ; oculô , & aure utuntur licentiori. Omnes hi, & singuli, qui similibus fræna laxant, peccant adversus professam castitatem, utpotè, qui carnali fœdantur contagione ; vel obsceni actûs, vel consensûs, vel amoris libidinosi, vel imaginationis impuræ, vel alicujus pravæ operationis.

11. *Præceptis Abbatis* (ajt S. Bernardus Reg. cap. 4.) *in omnibus obediendum est*, *etiam si ille aliter*, *quod absit*, *agat*? *memor illius dominici præcepti*: Omnia quæcunquè dixerint facite, secundùm opera illorum nolite facere. Math. 23. 3. Ex quo liquidò constat Christum Dominum prævidisse quosdam futuros ejusmodi farinæ, qui suam iniquitatem Superiorum accusatione tegere non verebuntur, ac proin voluisse, ut mandata etiam imperfectorum, imò pessimorum, uti olim fuit Cajphas, & Pharisæi, ad amussim

promptè, & hilariter exequantur; sicquè semel præcisum, omnis murmurationis, & non obediendi excusationis, filum. Idipsum svadet Christi Apostolus, dum ita 1. Pet. 2. 13. & sequ. ait: *Subjecti estote omni humanæ creaturæ propter DEUM: sive regi, quasi præcellenti, sive ducibus tamquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò, bonorum: quia sic est voluntas DEI, ut benefacientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam.* Pari modô & Paulus suos Dilectos Romanos cap. 13. 1. cohortatur; quamvis eòtum temporis reges, & principes fuerint infideles, & pessimi idololatræ.

12. Dent, amabo, rationem ejusmodi, cur tantùm obediendum sit bonis, & modestis, & non etiam discolis, ut præcipit Pagina Sacra, cùm ob subditorum peccata Dominus ad prælaturas vocet etiam malos, Vate Husæo affirmante? *Regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi.* Job. 34. 30. uti patet in Saule, & Caipha; Judam quoquè, qui fuit fur, & latro Apostolum facit.

13. Si potestas de super data non esset malis, revera non dixisset olim Pilato Christus: *Non haberes potestatem adversùm me ullam, nisì tibi datum esset de super.* Joann. 19. 11. nec de quibusquè Superioribus affirmaret: *Qui vos audit, me audit, & qui vos spernit, me spernit.* Quin imò in tantùm vult DEUS, ut jussa eorum effectuentur,

tur, ut acerbiſſimè tuliſſe feratur inobedientiam Jonathæ (1. Reg. 14. 24.) quâ mandatum, quamquam ſale prudentiæ carens, patris ſui impij Saulis, de non manducando veſpere priusquam adveniret, prævaricatus eſt.

14. Porro tenere tantùm obedientiam præſtare bonis; pijsquè Superioribus nil aliud eſt, quàm hæreſi in Concilio Conſtantienſi art. 15. Joannis Vincleffij affirmantis Regem, Epiſcopum, ſeu Prælatum quemlibet amittere ſuam poteſtatem, ſive Eccleſiaſticam, ſive civilem per peccatum, ſubſcribere impudenter. Atqueadeò non aliter, quàm peſſimè ſibi proſpiciunt, qui ſuorum Præpoſitorum malitiam incuſando, ſe ab obedientiæ præcepto excuſant, ſuam iniquitatem hoc prætextu juſtitiæ cooperientes. Quales (proh dolor!) etiam hodiedum in Religioſis comperies Aſceterijs, quibus dum, & quando quidpiam obedientia profeſſa imponit Superioris præceptô, mox animum bonum exuunt, & induunt malum, non recta id fieri intentione, aſt veriùs ſui mortificationis ergo aſſerentes. Demus, quòd malus ſit Superior, & malâ intentione (quod abſit) aliquid præcipiat ſubjecto, utile; ergone ideo illius vilipendenda mandata? Utiquè Chriſtus dicit, uti ſupra vidimus: *Quæcunquè dixerint vobis facite.* Sic, ſic obedientia tenenda, ut malis non conſentiatur, & malis in bono non contradicatur. Non eſt ſub-

ditis ſpectandum qualis ſit, & quô animô præcipiat Superior, ſed, quid præcipiatur effectui mandetur. Quod, ut eò majori fiat alacritate, & promptitudine ſalutare admodùm fuerit obedienti ſemper illò dirigere mentis cogitatum, non fortuitò, nequè inopinatô caſu quopiam, aſt DEI ſic ordinantis voluntate poteſtatem Antiſtiti ſuo fuiſſe datam, delatamvè, ut quæ ſecundùm DEUM progreſſio eſt, ab omni impedimento aliena eſſet. Enimverò *nulla poteſtas eſt nisi à DEO: quæ autem ſunt, à DEO ordinatæ ſunt. Itaquè, qui reſiſtit poteſtati, DEI ordinationi reſiſtit*, inquit Gentium Doctor Rom. 13. 12.

15. En habes adjumentum Dilectiſſime in Christo Frater Profeſſande, quô ſuffultus de alio non ſis ſollicitus præterquam, ut vota Religioſa ſerves intaminata. Deduc igitur illud videndis circumſtantijs in effectum, ut pro fidelitate promiſſorum dignus inveniaris, qui denarium accipias æviternum.

EXHORTATIO XVII. ad unū.

JESUS autem abſcondit ſe, & exivit de templo. Joann. 8. 59.

1. ISte eſt lacrymabilis, iſte eſt deplorandus, iſte deniquè luctuoſiſſimus eſt mortalium cataclysmus

cly-

clysmus, dum salutaribus resistunt, tandem ab O. deseruntur DEO. Quas, amabo, quantasvè industrias olim posuerat DEUS, ut populus ille Judæorum Incarnatum suum Filium, in salutem mundi cælitùs missum agnosceret? Obstinatus hic populus audivit Patriarcharum oracula, Prophetarum vaticinia, Scripturarum testimonia, vidit Christi miracula, ægrorum, cæcorum, claudorum, ac etiam elementorum signa, & prodigia; attamen in sua duritie adeò demersus perseverat, quòd etiam mundi Salvatorem præsumat lapidare. Quid tandem evenit? *JESUS abscondit se & exivit de templo*, id est, decernit pervicacem populum indurare, reprobare, derelinquere.

2. Atquè ejùsmodi derelictionem alibi prædixit Christus sequentibus verbis: *Jerusalem, Jerusalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos, qui missi sunt ad te: quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluisti? Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta.* Matth. 23. 37. 38. Acsi diceret Christus: eapropter quia non vultis recipere Prophetas, recipietis Titi, & Vespasiani exercitus armatos; eapropter quia Apostolorum detrectatis monitis obsecundare, diffundemini in morte civium vestrorum lamentis; eapropter quia me oppetere lapidibus attentatis, hinc non relinquetur in urbe vestra super lapidem lapis. O! sententiam, ad cujus vel auditum colliduntur

genua, contremiſcunt oſſa, aſſurgunt capilli! Benigniſſime Cæli, & terræ Creator, & Conſervator! cui connatum eſt miſereri ſemper, & parcere, ergone feres interire illam Civitatem, quæ tibi in ante ſemper fuerat adeò cordi? Utiquè illa eſt magnificentiſſimô, auguſtiſſimôquè ornata templô? Utiquè illam tot, tantorumquè Sanctorum veſtigia trivêre? Age, Domine, admove ultimum arietem, mitte, cùm libeat, ultimos caduciatores, ego, ego monitorium miſeræ feram! actum eſt! decretum latum! deſereris, excinderis, peribis! *Abſcondit ſe, & exivit.*

3. Dilectiſſime in Chriſto Frater Profeſſande! quorſum hæc, quæ hactenus dixi? Accipe! per infelicem plebem Judæorum venire volo illos, qui obfirmatâ malitiâ ſalutaribus reſiſtere non erubeſcunt, atquè in malo inveteratâ præſumptione ultro citroquè geſtiunt perſeverare. Tu, nè horum ſyllabo ſtipulatam olim dediſſe videaris, Vota Religioſa, Paupertatem nimirùm, Caſtitatem, & Obedientiam, quæ modò O. DEO litare intendis, ad ungvem ſervare memento. Quod, ut eò facilius, & accuratiùs exequaris, vel illa informatione conducent, quæ animô tuô bonô, ſubſequo adducam diſcurſu. Fave.

4. Paupertati Spiritûs ceu Evangelicæ, conſequenter Religioſæ nîl magìs, ac proprietas, con-

contrariatur, quæ quid ſit, ſi Juriſperitos conveniemus, dicent nobis, illam eſſe dominium juſtis modis aquiſitum. Atquè hæc definitio locum habet in perſonis liberis, & quæ rerum Domini verè fieri poſſunt. Aſt illa hìc loci illæſa relinquitur utpote jure roborata, ſed de proprietate Religioſorum, qui à ſe omne jus, & rerum temporalium dominium abdicârunt, paupertatis votô ſe obſtringentes. Monachorum ergo proprietas dicitur non rei veritate, (nam juxta D. Legislatorem Auguſtinum in Reg. furtum eſt, & ſecundùm Chryſoſtomum hom. 12. in 5. cap. Act. ſacrilegium) ſed ſimilitudine. Quemadmodum enimverò rerum Domini proprijs pro voluntate utuntur, illa integra conſervare ſtudent, & nè communia fiant, defendunt, proquè viribus augere ſatagunt; ita & Religioſi, qui jugô paupertatis ſuaviſſimô rejectô, quæ ſibi per fas, nefasquè alicunde corradunt, tamquam proprijs præſumunt uti, maxima ſollicitudine cuſtodiunt, augent, defendunt. Sint exemplô hac in parte Ananias, & Saphira (Actor. 5. 1. 2.) qui portiunculam hæreditatis retentam, nè ſibi eriperetur, & in communem uſum redigeretur, etiam mendaciô defenderunt.

5. Delinquunt ergo contra profeſſam paupertatem Religioſi vitiô proprietatis, dum, & quando pro libito utuntur, dant, accipiunt, mutant, retinent quidpiam ſinè licentia ſuorum

Superiorum vel expressa, vel saltem interpretativa seu præsumpta. Similitudine dixi, non rei veritate. Ita namquè S. Benedictus in Regula sua cap. 33. proprium describit, dum vetat nè quis audeat dare aliquid, vel accipere sinè jussione Abbatis, tum nè habeat aliquid proprium, nullam omninò rem.

6 Fortassis nonnemo quadam curiositate ductus quæret, quænam sit hujus prohibitionis causa? Videlicet quoniam, qui cupiditate rerum terrenarum capti distinentur, & illas appetunt, non absquè labore quærunt; absquè difficultate non inveniunt; absquè sollicitudine non servant; absquè anxia delectatione non possident; absquè dolore non perdunt. Doctor autem Gentiū Christi sequaces præmonet: *Volo vos sinè sollicitudine esse.* 1 Cor. 7. 32. Et 1. Tim. 6. 10. jugiter asseverat radicem omnium malorum esse cupiditatem, quam quoniam nonnulli appetiêre, hinc meritò erravêre à fide, & inseruêre se doloribus multis.

7. Porro proprietas quædam dicitur inchoativa, quædam auctio, quædam verò consummata (sunt enimverò singulorum vitiorum initia quædam progressus, & consummationes) atquè cuncti, qui specie qualibet ex allegatis infectos se esse patiuntur, proprietarij dicuntur. Nam cementarij ij, non modò dicuntur, qui artem profitentur cementariam, sed & qui eam di-

sce-

ſcere cœperunt, atquè qui in ea fecêre progreſſus majores, licet ipſi eam minimè profiteantur. Strictam proin ejusmodi Religioſi olim Domino DEO dabunt rationem de non ſervata fide in obſervanda ad unguem paupertate profeſſa, quemadmodum & illi,

8. Quos gula, & intemperantia, turpiter in luxuriam ſolvunt. D. Pros. l. 3. de vit. contempl. c. 6. Quamquam alij ſint, quos in injuriam pudicitiæ, ſordidæ cogitationes incendunt, non nullos de propoſito caſtitatis occaſiones dejiciunt oblatæ: quosdam ſub impudicitiæ jugum exempla perditè viventium mittunt; alios lingua turpis inflammat, aut turpem conſcientiã manifeſtat, qui priùs inverecundos ſermones aut proferunt libenter, aut audiunt, & exhinc ſenſim, & ſenſim morbo creſcente ab honeſtate deficiunt, attritoquè pudore ſimiles effecti, dum indecenter elegantes videri volunt, paſſim jam turpibus verbis inſaniunt impudenter. Hoc enim loquuntur quiquè, quod diligunt, & delectabiliter audiunt, quod aſſiduis volvunt cogitationibus; quæ poſteaquam ſemel dumtaxat admiſſæ fuerint, ſic ſæpenumerò innatam carnis libidinem ſuſcitant, atquè ſuccendunt, ut ſuô ſuffocent fumô, incendioquè eum conſumant, qui illas, dum potuit, non excluſit. Hinc Ovidius ſvadet:

Principijs obsta, serò medicina paratur;
Cum mala per longas, invaluêre moras.

9. Nec tantùm quæ sunt causa mortis animæ, ast & otiosæ, inutiles, periculosæ cogitationes à professoribus castitatis summoperè sunt vitandæ, quas videlicet dormitante ratione, varijs, vanisquè imaginationibus illusi in corde volutamus. Harum, inquam, primis insultibus obviandum est vigilantiùs, tum quòd eis inhærere, sit tempus sinè fructu consumere, & Spiritus S. Sapiente Domini Sapi. 1. 5. elongetur à cogitationibus, quæ sunt sinè intellectu, tum, quòd ad facinus pestiferum sollicitent blanda quadam invitatione, ac sæpissimè illius fiant causa. Quare Abbas ille Claravallensis D. Bernardus: *Dum otiosa* (inquit) *tamquam minima non spernimus, interdum labimur ad turpia, & inhonesta.*

10. Ut verò & Obedientia professa ex nulla parte vacillet, præceptis statutorum, maximè verò essentialibus obtemperandum. Quare D. Benedictus Regul. c. 1. 3. *In omnibus* (inquit) *omnes magistram sequantur regulam, nec ab ea temerè devietur à quoquam.* Idipsum & noster Legislator S. Augustinus omnibus nobis ad initium statim suæ Reg. inculcat dicens: *Hæc igitur sunt, quæ, ut observetis, præcipimus, in Monasterio constituti.* Item: Superiores non sunt contemnendi, nequè eorum mandata, minùs lacescendi. Hinc D. Bernardus Reg. c. 3. *Non præsumat*

(in-

(inquit) *quisquam cum Abbate suo protervè intus, vel foris contendere; in monasterio, quod si præsumpserit disciplinæ regulari subjaceat.* Contra tales & nostræ Const. p. 3. c. 31. §. 3. sæviùs animadvertunt.

11. Nequè illi se obedientes probant, qui graviter ferunt Superiorum mandata: siquidem pro DEI amore omni obedientia subdi eis oportere docet Paulus Hebr. 13. 17. dum in sequentia excurrit verba: *Obedite Præpositis vestris, & subjacete eis; ipsi enim pervigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim non expedit vobis.* D. autem Legislator Augustinus in Reg. sua Præposito tamquam Patri jubet nos esse obedientes. Non probant, inquam, se obedientes, qui mandata suorum Superiorum perficere negligunt; qui aliquid à Superioribus requirentes superbè, & irreverenter loquuntur. *Si quæ* (inquit memoratus Benedictus Reg. c. 6.) *à Priore requirenda sunt, cum omni humilitate, & subjectione reverentiæ requirantur.* Noster etiam P. Terretius acuminosus Regulæ D. Augustini Explanator in sua Anacephaleosi n. 18. omnem reverentiam Superiori asstruit esse præstandam.

12. Nequè isti obedientiam olim professam ad ungvem allaborant observare, qui solùm Superioribus suis obedire volunt, & non etiam suis senioribus, & alijs fratribus. Enimverò

mo-

monastica disciplina, affirmante D. Benedicto Reg. cap. 78. habet, ut obedientiæ bonum non solùm Abbati exhibeatur, sed etiam, ut sibi invicem obediant fratres, scientes se per hanc obedientiæ viam ituros ad DEUM; quod ipsum patet & in nostra Regulæ Anacephaleosi n. 3. Qui aliter implent præceptum, quàm præcipientem velle sciunt; qui adeò difficiles se exhibent, ut Superiores eis quidquam imponere, vel mandare non audeant; qui simplici verbo obedire nolunt, nisi addatur præceptum expressum; qui non prius volunt obedire, quàm præcepta Superiorum exactè discusserint, an justa sint nec ne; qui timore pænæ, non virtutis amore obtemperant; qui pro placito differunt mandatum. Nam veri obedientes (sensus est D Benedicti in Reg. c. 5.) mox, ut quidpiam imperatum fuerit à Majore, ita accipiunt, quasi divinitùs imperaretur, & hinc moram pati nesciunt in faciendo.

13. Ecce Dilectissime in Christo Frater Professande informationem hactenùs dictorum, quâ mediante ad ungVem vota Religiosa tantò faciliùs observes: modò nîl restat, quàm, ut illi obsecundare non detrectes; & fiet, quòd dignus invenieris, qui ab O. DEO non deseraris non solùm temporaliter, sed nec æviternè. Quod mihi, & tibi exopto.

EXHOR-

EXHORTATIO XVIII. ad unũ.

Ductus est JESUS in desertum Matth. 4. 1.

1. STupore plenam, admiratione magnam rem Evangelista Domini refert! JESUS Christus Servator mundi,, DEUS verus de DEO vero, Lumen de Lumine recessit, abivit, remeavit. *Ductus est in desertum.* Quò abivit, quò recessit, quò remeavit? Mundum deseruit, ad desertum se contulit. Quô motivô, quô fine? Ut ibi pœnitentiam agat. Quid innocentissimus, Psalmographo Psal. 10. 15. attestante, DEI Filius pœnitentiam aget in deserto? Non aliter; ita enimverò habet Jeremias Propheta cap. 18. 8. *Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo - - agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.*

2. Plus quàm certùm, quoadusq; peccator in cæno peccati mortalis volutatur, DEO aliæ non insunt cogitationes, quàm ut illum omnibus affligat malis; cogitat illum paradiso cælesti excludere, velut exclusit Protoplasten terrestri Gen. 3. 24. Cogitat illum aquis suffocare, velut olim suffocavit genus humanum tempore Noemi Gen. 7. 22. Parat illum terræ hiatu deglutire, veluti quondam deglutivit Dathan,

than, & Abiron Psal. 105. 17. Intendit illum igne devorare, sicuti devoravit Nadab, & Abiu Levit. 10. 2. Intentionatur illum peste delere, quemadmodum intra spatium dierum trium à Dan usque Bersabee (2. Reg. 24. 15.) septuaginta millia virorum delevit. Ast quamprimùm incipit peccator è volutabro suo resurgere, illicò mansvescit & DEUS. Eò, inquam extendit se misericordia DEI (Ezech. 33. 11.) ut si peccator agat pænitentiam de malo culpæ, agat & DEUS de malo pænæ.

3. Utiquè, utprimùm exclamat Rex coronatus David: *Peccavi!* 2. Reg. 12 extemplò Propheta Domini Nathan mollescit, mansvetèquè reponit Dominum peccatum illius transtulisse, ibid. Utiquè utprimùm cessant Ninivitæ à flagitijs, statim divina ultio cessat, & manum removet à flagellis Jonæ 3. 10. Utiquè servus ille Evangelicus utprimùm rogaverat humiliter debiti dilationem, eodem passu obtinuit plenam remissionem. Matth. 18. 27.

4. Dilectissime in Christo Frater Profesfande! Status Religiosus est status pænitentiæ: hìc ergo svasu Augustini in Reg. de præteritis dole, & de futuris cave orans, ut tibi debitum dimittatur, & ut in tentationem non inducaris. Ast quî de futuris cavebis? Nosti perbellè: *Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* 1. Joann.

Joann. 2. 16. Per paupertatem Religiosam fugatur concupiscentia oculorum, per castitatem concupiscentia carnis frænatur; per obedientiã proteritur superbia vitæ. Atqueadeò, ut in futurum laqueô orci aucupis non præderis, salubrius antidotum non invenio, quàm exactam Votorum Religiosorum, Paupertatis dumtaxat, Castitatis, & Obedientiæ observantiam. Quod, ut præstes faciliùs, vel illa te edocebunt, quæ subsequo adducam discursu. Fave.

5. Adeò delicatæ matris, delicatæ soboles, Religiosa censentur vota, quòd nihil è diametro sibi oppositum sustinere patiantur. Amant hæ soboles in croceis semper nutriri (Thren. 4. 5.) hinc & suos Tutores stercora amplexari abhorrent eousquè. Sed eheu! quamvis Philargyriæ morbus, asseverante Cass. libr. 7. cap. 14. de inst. monac. ab omnibus Patribus unanimi detestatione damnetur; triplex attamen esse adhucdum non cessat. Unus, qui tendens miserandis quibusquè insidias, ea, quibus in sæculo carebant, ultro, citroquè abblanditur coacervare. Alius, qui illa, quæ sub cunabulis suæ conversionis mundo reliquerant, exhinc resumere, iterum, iterumquè appetere propellit. Tertius, qui ad initium damnoso contractu, & ab imperfectione auspicans, eos, quos semel hac labe, hoc tepore infecerit mentis, paupertatis non minùs, ac diffidentiæ metu perculsos, nu-

dare se omnibus sæculi bonis non permittit, illosquè turgidiores crumenas, nonnullasquè mundi facultates reservantes Evangelicæ perfectionis apicem conscendere nuspiam concedit. O boni Monachi, quiqui hujus farinæ estis! detergite albuginem ab oculis vestris, & videbitis clarè, harum trium ruinarum exempla, non levi pæna, olim damnata. Etverò:

6. Nonne Giezi ea, quæ ne ante quidem possederat appetitu quodam, ut ajunt, spurio titillatus, volens aquirere, non tantùm gratiam prophetiæ non meruit adipisci, quæ illum successione hæreditaria jam jam contingebat à suo Magistro; ast etiam à contrario æviternâ leprâ, S. Elizæi, percutitur, maledictione. *Nunc igitur accepisti argentum, & accepisti vestes, ut emas oliveta, & vineas, & oves, & boves, & servos, & ancillas Sed & lepra Naaman adhærebit tibi, & semini tuo usquè in sempiternum. Et egressus est ab eo leprosus quasi nix* 4. Reg. 5. 26. 27.

7. Nonne Judas volens resumere argenteos triginta, quos non longè, secutus Christũ, abjecerat, non solùm ad traditionẽ sangvinis innocentis prolapsus Apostolatûs excidit gradu, sed etiam vitam infelici prorsus exitu terminavit. *Tunc videns Judas, qui eum tradidit, quòd damnatus esset, pænitentiâ ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum, & senioribus, dicens: peccavi tradens sangvinem justum. At illi dixerunt:*

quid

quid ad nos? tu videris. Et projectis argenteis in templo, recessit, & abiens laqueô se suspendit. Matth. 27. 3. &c.

8. Utiqè & Ananias cum Saphira uxore sua celantes partem nonnullam ex possessione sua Apostolorum ore, morte improvisa puniuntur. *Anania cur tentavit satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto, & fraudare de pretio agri? Nonne manens tibi manebat, & venumdatum in tua erat potestate? quare posuisti in corde tuo hanc rem? Non ès mentitus hominibus, sed* DEO. *Audiens autem Ananias hæc verba, cecidit, & expiravit. - - Et uxor ipsius nesciens quod factum fuerat, introivit. Dixit autem ei Petrus: dic mihi mulier, si tanti agrum vendidistis? at illa dixit etiam tanti. Petrus autem ad eam: quid utiquè convenit vobis tentare Spiritum Domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt virum tuum ad ostium, & efferent te. Confestim cecidit ante pedes ejus* Act. 5. 3. &c. & ℣. 7. &c.

9. Atquè hac pestifera labe nè cujusquam nostrum animus depravetur, seriò monet, & adhortatur D. Legislator Aug. in Regula ita inquiens: *Illi, qui aliquid habebant in sæculo, quandò ingressi fuerint Monasterium, libenter velint illud esse commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt; Sed tamen eorum infirmitati, quod opus est tribuatur; etiamsi paupertas eorum talis erat, quando foris erant, ut nec ipsa necessaria poterant invenire. Tamen non*

ideo putent se esse felices, quia invenerunt victum, & tegumentum, quale foris invenire non potuerunt. Nec erigant cervicem quia sociantur eis, ad quos foris accedere non audebant; sed sursum cor habeant, & terrena vana non quærant, nè incipiant Monasteria divitibus esse utilia, non pauperibus; si divites illic humiliantur, & pauperes illic inflantur.

10. Hunc habet morem caliditas antiqui illius serpentis, quòd quem lethalibus cogitationis, ingestis ad peccatum contra castitatem pellicere non valet, hunc aggreditur levioribus, ut si non magni fiant, quæ mortem animæ nequaquam adferre præsciuntur, per socordiam tandem ad assensum sui pertrahant, atquè sic morti, consignent incautos, æternum deplorandæ. Atquè hoc sæpissimè contingit in venereis cogitationibus quamquam etiam levibus; equidem illæ ne minimùm quidem admitti quæunt absquè animæ pernicie certa.

11. More igitur ignis (sensus est S. Greg. libr. 6. in cap. 15. Regul.) libido succenditur, & si negligenter extingvitur, adjacens stipula velociter inflammatur. Nunquid homo potest abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta sua non ardeant, & ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus? Attamen si suscitatæ, sive ingestæ cogitationes malæ non suscipiantur, tantùm abest, ut noceant, ut contra haud medi-

mediocriter commendent, nosquè DEO fideles, & probatos reddant. Enimverò, quemadmodùm miles qui contra adversas phalanges frequentiùs pectus suum opponit, dequè eis gloriosus triumphat, Regi multò gratissimus existit; ità dubiô seclusô DEO pijssimo Agonothetæ nostro longè acceptissimus redditur, qui immundis cogitationibus vexatus, fortiter tamen usquè repugnat, nec ab ijs se captivari sinit, ipse eas subjugans, & captivans.

12. Ast excidunt de DEI favore, qui cum murmure suis Superioribus obsequuntur; obedientia enim tunc acceptabilis erit Domino DEO, & hominibus, si, quod jubetur, non trepidè, non tardè, aut cum murmuratione, vel cum nolentis responsione efficiatur. Qui magna, & ardua præcepta faciunt, minora contemnunt: qui mandantis verba crudè intelligentes, servant ea, intentionem verò negligunt, quamquam peroptimè sciant, quòd nullus in Monasterio existens debeat sequi proprij cordis voluntatem. Qui intentionem sui Superioris pervertunt, & sinistrè interpretantur; qui sinè justa causa excusationem texunt impotentiæ, aut imbecillitatis; qui Superiores in suam sententiam pertrahere conantur argumentis, & varijs persvasionibus; obedientia enim hoc censetur habere, ut subditi simpliciter sua desideria exponant, eaquè ad pedes Majoris abjiciant, absquè ulla defensione.

Qui ſcientes, volentesquè malè faciunt, ut quod erat injungendum non præcipiatur, vel jam injunctum revocetur; qui audent, quod ſciunt Superiori ingratum, ſaltem an placeret cognitum, eis dubium eſt, quos non latet in dubijs ſecuriorem partem eſſe eligendam. Deniquè quidquid ſinè permiſſione Patris Spiritualis fit, præſumptioni deputatur, & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo (conſequentia in forma) cum voluntate Superioris omnia facienda.

13. Hæc itaquè ſint illa quæ te Dilectiſſime in Chriſto Frater Profeſſande edoceant exactam Votorum Religioſorum, Paupertatis ſcilicet Caſtitatis, & Obedientiæ obſervantiam, nè in tentationem inducaris, cujus ſuggeſtu admiſsô victima cadas æternis ignibus cremanda. Sint ergo tibi cordi, & fiet, quòd poſt mortalem vitam, vives in æternum.

EXHORTATIO XIX. ad unum.

Tunc acceſſit ad eum. Matth. 4. 3.

1. QUamprimùm infeliciſſimus ille Lucifer, ex Angelo in monſtrum infernale fuerat immutatus, quamprimùm è cælo fuerat proſcriptus, & ad æternas tenebras relegatus, ut ſuæ proſcriptionis ſupplicium vindicare quoquo mo-

modo valeat, implacibili odio illicò flagrare cæpit adversùs DEUM, ejusquè in lucrandis animabus ab illo tempore rivalis, & æmulus est. Hunc in finem nulli labori, nulli industriæ, nulli astutiæ parcit, ut animas suos pertrahat in casses. Immensa est ejus invidia, quâ invidet nobis cælestis gloriæ sedes, ex quibus ille cum rebellibus angelis excidit, adeò, quò vice quadam fassus sit ex energumeno, se malle, si optio sibi daretur, cum una anima in inferni abyssum descendere, quàm in perditam gloriam redire. Joann. Mari Vincent. in Mund. fol. 156. Insatiabilis est ejus sitis rapiendi animas, ita, ut olim S. Dominico enarârit, sibi à DEO oblatam fuisse electionem unius, quam vellet creaturis, potuisse se eligere, sive terram, sive aërem, sive aquam: se tamen hæc omnia recusâsse. *Quid ergo vis mala bestia*, quærebat DEUS, *nihil aliud, nisi animas*, reposuit dæmon. S. Antonin. Fer. 2. Pent.

2. Per quid nam verò capitalis hic inimicus animas suæ potestati subjugare soleat? neminem latet peccatum stratagemate esse. Per peccatum ergo augetur regnum dæmonis, per peccatum tamquam chyrographum oppignorat se homo servituti diaboli, per peccatum recedit à DEO, ejusquè servitutis suavissimum de cervice excutit jugum, per peccatum exhilarat infernum, & contristat totam curiam cælestem.

Quare Regius Vates: *Qui tribulant me, exultabunt si motus fuero.* Psal. 12. 6.

3. Dilectissime in Christo! Frater Profesſande! quo hæc percipis corde? meliusnè exhilarare cælum, quàm infernum? Reponis quia ita. Age, vita tua per observantiam Votorum Religiosorum Paupertatem scilicet, Castitatem, & Obedientiam, talis sit, ut supra illam jubilet cælum, gemat infernus. Cui monito ut faciliùs, & exactiùs morem geras, vel illa suffragabuntur, quæ ulteriori pandam discursu. Fave.

4. Habendi cupiditas cùm paupertatis Religiosæ professorem suæ subjugaverit potestati, meritò contristatur cælum, jubilat infernus. Hic enimverò, quod sponte olim dimiserat pro Domino, contra præceptum quæritare animum parat Monasticen professionis. Atquè hæc venenata vipera cùm tepidam, remissamquè mentem intoxicaverit Monachi (sensus est Cass. libr. 7. de institut. cæn. cap. 7.) primitùs eum in exigua summa sollicitans, justos quosdam, & velut rationabiles ei colores, ob quos vel reservare sibi aliquam pecuniam debeat, vel parare describit. Nam & ea, quæ præbentur in Monasterio, queritur non esse sufficientia, & sano, robustoquè corpori vix posse tolerari. Quid factu opus, si valetudo mala carnis emerserit, & reconditum non fuerit quidpiam peculiare, quô

sub-

ſubſtentetur infirmitas? Præſtitionem Monaſterij eſſe pertenuem, & negligentiam erga ægrotos maximam: ſi proprium aliquid non fuerit, quô cura corpori valeat adhiberi, miſerè eſſe moriendum. Ipſum etiam veſtimentum non ſufficere, quod præbetur, nisì procuretur ſibi unde aliud poſſit exhibere. Poſtremò nec diu poſſe in eodem loco, vel Monaſterio commorari, & nisì paraverit ſibi viatici ſumptus, evectionisquè tranſmarinæ mercedem, non poſſe, cùm voluerit traſmigrare, & neceſſitate inopiæ coarctatum, laborioſam, ac miſerabilem ſinè ullo profectu vitam toleraturum, inopem ſe quoquè, ac nudum non ſinè improperio, aliena ſubſtantia ſuſtentandum. Itaquè cùm hujusmodi cogitationibus laqueaverit mentem, qualiter ſaltem denarium aquirere valeat, excogitat, tunc peculiare opus, quod exerceat. Superiore inſcio, ſollicita mente perquirit, quod vendens clam, & optatô tandem potitus nummô, qualiter eum multiplicet, acriùs vehementiùsquè torquetur, ubi reponat, cuivè illum tradat ambiguus. Deinde quid ex eo coèmere, qualivè eum commercio valeat duplicare cura graviore diſtenditur. Cùmquè illi & ex hoc voto ceſſerit, avidior fames accreſcit auri, tantoquè vehementiùs ſuſcitatur, quantò etiam major lucri ſumma apponitur. Cùm etenim incremento rabies cupiditatis augetur. Tum deinde vita

longæva promittitur, senectus incurva, infirmitates diversæ, atquè prolixæ, quæ nisì major summa in juventute fuerit præparata tolerari in senectute non possint. Agitur ita infelix anima serpentinis nexibus obligata, dum materiam malè concretam nequiore cura concupiscit, augere pestem sibi quâ diriùs inflammetur parturiens, totaquè lucri cogitatione possessa, nihil aliud respicit cordis intuitu, quàm unde pecuniam valeat parare. Ecce quot, & quantis laqueis suos implicet proprietatis affectio, à quibus se extricare impossibile nisì per terrenarum rerum perfectam alienationem.

5. Cæterùm cùm me non lateat complurium etiam hodiedùm numerum non erasum, qui metu miseriarum perculsi, quibus cervices se daturos vanè fingunt, omni nisu, & totis conatibus in futura mala sibi in quibusdam loculis quidpiam asservare parant, gestiuntvè, adhuc nonnihil consilij accipiant tales. Etverò: utiquè Magister ille Cælestis continuò adhortatur per suum Evangelistam Matth. 6. 25. & sequ. dicens: *Nè solliciti sitis animæ vestræ quid manducetis, nequè corpori vestro quid induamini: nonne anima plus est, quàm esca, & corpus plus, quàm vestimentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, nequè metunt, nequè congregant in horrea, & Pater vester cælestis pascit illa.* Si vestis defuerit, lilia considerentur; si esuries affligit, audite be-

atos

atos esse pauperes esurientes Matth. 5. 3. Si quispiam aggravaverit dolor, legatur Apostolus 2. Cor. 12. inquiens ibidem ℣. 5. *Pro me nihil gloriabor. nisi in infirmitatibus meis.* Et ℣. 7. *Nè magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet.* Lætandum in omnibus judicijs DEI exemplô Psalmistæ, qui Psal. 118. 30. protestatur: *Viam veritatis elegi, judicia tua non sum oblitus.* Non recedat uspiam illa vox ab ore: *Nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc.* Job. 1. 21. Et illa: *Nihil intulimus in hunc mundum; haud dubium, quòd nec auferre quid possumus.* 1. Tim. 6. 7.

6. Pari modo contristant summopere cælum, & lætificant infernum qui immemores professæ quondam castitatis mentem suam libidine pascunt. Et hi non modò pestiferum venenum bibunt, sed & totius ruinæ spiritualis causa sibi existunt. Hinc Sapiens Domini cap. 1. 3. *Perversæ* (inquit) *cogitationes separant à DEO.* Et Sapientia Incarnata idipsum sat luculenter declarat primo loco ponens cogitationes noxias, tamquam parentes subsequentium peccatorum. Ita enimverò inquit apud Matthæum cap. 15. ℣. 19. *De corde exeunt cogitationes malæ: homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ.*

7. Atqueadeò, quæ plenum, atq; liberum con-

consensum, sivê in actum veneris illegitimum, vel in delectationem cogitationum impudicarum obtinent, concluduntur castitatis sacrilegæ transgressiones (de quibus Salomon Prov. 15. 26. Abominatio Domini cogitationes malæ) neutiquam illæ, quæ nobis somniculosiùs agentibus quandoquè obrepere solent, suiquè delectationem, quôdam modô, ac etiam subitum consensum extorquent. Etenim, tum ob violentiam, tum ob deliberationis defectum, veniales tantummodò reputârim, nisì actus turpior sit secutus. Sunt attamen & hæ solerti industria, & magna sollicitudine fugiendæ, nè illex malorum, inde nos ad illas, quæ prorsus voluntariæ sunt, ideoquè castitatis devotæ prævaricationes, præcipitet, devolvatquè.

8. Nequè illi obedientiæ professæ legibus insistentes exhilarant cælum, ast jure potiori infernum, qui contra Superiorum suorum mandata murmurare solent. Hinc D. Benedictus in sua Reg. cap. 24. *Ante omnia* (inquit) *nè murmurationis malum pro qualicunquè causa, in aliquo qualicunquè verbo, vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit quis, districtiori disciplinæ subdatur.*

9. Murmuratio porro est querela contra rationem, de ijs, quæ sunt patienter ferenda. Hæc definitio murmurationis nullô modô mur-

mu-

muratoribus patrocinari potest: equidem quæcunquè demum contraria, quæcunquè demum adversa, quæcunquè demum dura, quæcunquè demum aspera, declarat esse forti, & adamantino animo ferenda, atquè ita de ijs conqueri nulla ratione permittit, exemplô illorum de quibus Sancta Mater Ecclesia ita canit:

Cæduntur gladijs more bidentium:
Non murmur resonat, non querimonia;
Sed corde impavido mens benè conscia
Conservat patientiam.

10. Conserva ergo & tu illam Dilectissime in Christo Frater Professande in omnibus, quæcunquè genio vitâ tuâ adversari videbuntur. Non declines à Votis tuis Religiosis, Paupertate nimirùm Castitate, & Obedientia nequè ad dexteram, nequè ad sinistram. 2. Petri 1. 10. Verbo: Satage magìs, & magìs semper, ut per bona opera facias vocationem tuam, & electionem certam; & cælum exhilarâsti, infernum contristâsti æviternè.

Homo quidam erat dives, qui habebat villicum. Luc. 19. 1.

1. QUid putamus quis ubi, & unde fuerit homo ille dives, quem nobis Evangelista Domini Lucas proponit spectandum? Non nos latet fuisse Abrahamum divitem valde in possessione auri, & argenti Gen. 13. 2. Scimus fuisse Ezechiam Regem divitem, & inclytum valdè 2. Paralip. 32. 27. Novimus perbellè Asuerum ad ostensionem potentiæ suæ, Regni proceribus centum, & octuaginta dierum convivium fecisse Esther 1. 4. Constat nobis luce clariùs meridiana magnificatum fuisse Salomonem super omnes reges terræ præ divitijs, & gloria 2. Paralip. 9 22. Non nos subterfugit Judith habuisse post virum suum divitias multas, & familiam copiosam Judith. 8. 7. Audimus magnum Job. plurima reperisse Job. 31. 25. Ast nullus recensitorum. Quis igitur ille est? Interogemus Hugonem Cardinalem, & respondebit nobis ita quemadmodum hac in parte in Luc. 16. sentit; dicit enim ibidem: sub divitis hujus nomine intelligitur Christus JESUS DEI Filius. Et rectè: divitias enimverò illius quis est par enarrando? Nam in Ecclesia triumphan-

phante habet milliones Angelorum, uti olim vidit Propheta Daniel: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Dan. 7. 10. In Ecclesia autem militante habet milliones animarum, pretiosas illas margaritas, pro quibus dedit omnia sua (Philipp. 2. 7.) & comparavit eas.

2. Dilectissime in Christo Frater Profes-sande! habeo, quod mihi, & tibi gratuler, dum te videam luce hodierna ab hoc Divite tam magno in villicum assumi suum. Tradit ille tibi sub tutelam tuam bona sua hæreditaria, Paupertatem videlicet, Castitatem, & Obedientiam Religiosam. Age: ita te geras in hoc officio nè unquam audias: *Et hic diffamatus est apud illum, quasi dissipâsset bona ipsius.* Luc. 16. 1. Quod nè fiat, vel illa aperient oculos mentis ad faciliùs cavendum, quæ ulteriùs indicabo Fave.

3. Quemadmodùm non omnes sancti, qui calcant limina templi; ità non omnes Religiosi, non omnes fideles villici bonorum hæreditariorum, Paupertatis scilicet, Castitatis, & Obedientiæ Religiosæ, Divitis cælestis, qui tantùm habitu conteguntur, & tonsurâ à sæcularibus distingvuntur, illa diligenti solertia non administrantes quaqua versùs parte. Eheu! quot, quantosvè post primæ abrenunciationis ardorem, quô resfamiliares, & opes plurimas, ac sæ-

culi

culi militiam, relinquentes semetipsos, ad Monasteria contulerunt, tantô cernimus studiô vel in illis etiam rebus, quæ abscondi non possunt penitùs, & quæ nequeunt non haberi, quamvis parva, viliaquè sint, esse devictos, ut horum curam omnium pristinarum facultatum superet passionem. His re vera non proderit, majores opes, & divitias contempsisse; quia affectus earum, ob quos illæ contemptæ sunt, in parvas, atquè exiguas transtulêre ut advertit optimè Cass. collat 1. cap. 6. Enimverò (pergit ulterius) vitium cupiditatis, & avaritiæ, quod circa res pretiô æstimabiles exercere non valent, erga viliores materias retinentes, non abscidisse, sed mutâsse se probant pristinam passionem suam. Etenim nimiâ devincti diligentiâ circa curam psytaci, sportellæ, sagelli, codicis, mattæ, aliarumvè consimilium rerum quamquam vilissimarum, eadem tamen, qua ante libidine distinentur. Quas etiam tanta æmulatione custodiunt, & defendunt, ut pro ipsis adversus fratrem commoveri, atquè litigare (quod etiam turpiùs est) non pigeat. Qui adhucdum pristinæ cupiditatis ægritudine laborantes, hæc ipsa, quæ usus corporis possidere Monachum, vel necessitas cogit, secundùm numerum mensuramquè communem non sunt habere contenti, in hac quoquè sui cordis avaritiam designantes, cùm vel quibûs uti necesse est,
pro-

propensiùs student habere, quàm alij, vel excedentes diligentiæ modum, peculiariùs ea, attentiùsvè custodiunt, & ab aliorum contrectatione defendunt, quæ universis fratribus debent esse communia. Quasi verò differant à tantummodo metallorum, & non ipsa passio cupiditatis habeatur noxia. Et cùm pro rebus magnis irasci non liceat, pro vilioribus verò hoc ipsum sinè culpa sit, & non idcirco pretiosiores abjecerimus materias, ut faciliùs disceremus contemnere viliora. Quid differt, utrùm quis perturbationem cupiditatis erga opes amplas, & magnificas, an viliores exerceat species? nisì quòd eò reprehensibilior judicandus sit, quòd qui maxima spreverit, in minimis obligetur. Ideo perfectionem cordis abrenunciatio ista non obtinet, quia cùm censum habeat pauperis, non abjicit divitis voluntatem.

4. Audiamus, quæso, quî de ejusmodi Monachis æternus ille, & cælestis Magister Christus JESUS! Certè graviter illos apud suum Evangelistam perstringit. Dicit enim Luc. 16. 10. *Qui fidelis est in minimo, & in majori fidelis est. & qui in modico iniquus est, & in majori iniquus est.* Ea propter peroptimè quidam concludit: *Monachus habens obulum, non valet obulum.* Quod adagium fulcitur illô argumentô D. Basilij ad quendam Senatorem, qui post multarum divitiarum abrenunciationem paucula quædam

sibi reservârat, formatô: *Et Senator esse destitisti, & Monachum non te fecisti.* Quare meritò S. Greg. hom. 32. in Evangelia: *Ad se nobis venientibus* (inquit) *Dominus præcepit, ut renunciemus nostris: quia quicunquè ad fidei agonem venimus, luctamen contra malignos spiritus sumimus. Nihil autem maligni spiritus in hoc mundo proprium possident: nudi ergo cum nudis luctari debemus. Nam si vestitus quisque cum nudo luctatur, citiùs ad terram dejicitur, quia habet unde teneatur. Quid enim sunt terrena omnia, nisì quædam corporis indumenta! Qui ergo contra diabolum ad certamen properat, vestimenta abjiciat, nè succumbat.* Atqueadeò nihil in hoc mundo amando possideat, nullas rerum fluxarum; rerum labentium delectationes requirat, nè unde ad votum tegitur, ad casum inde teneatur.

5. Nè verò & castitas quacunquè ex parte sibi de manibus suis eripiatur DEO oblata, meminerit jugiter illius, quod Prov. 4. 23. dicitur: *Omni custodia serva cor tuum:* & secundùm principale hocce DEI mandatum semel pro semper sollicitè observabit serpentis noxium caput, id est cogitationum malarum, seu cujuscunquè castitatis adversæ phalangis initium, queis serpere in animam humanam orci attentat princeps, nequè patiatur per quempiam mentis, & cordis torporem penetrare in cor suum reliquum ejus corpus delectationis consensum. Enimverò hic

(si quam-

si quamcunq; præocupaverit rimam morsu virulento mentem, & cor interimet strangulatum.

6. Subnascentibus etiam peccatoribus terræ suæ (ita sensus carnales placuit Cass. libr. 6. cap. 13. baptizare) sub auroram recordetur extinguere oportere, & dum adhuc parvulis staturâ comparantur, allidere filios Babel ad petram: atquè hi nisì, dum panem frangere, pulmentcvè, ac lacte nutriri petunt, fuerint jugulati, minorenatu emenso per abladitionem virium validiorum erigent caput, & ita cum gemitu magno & non sinè ingenti labore os victi opilabunt. Nam dum fortis spiritus videlicet humanus (Luc. 11. 21.) domui suæ invigilat armatus, portas cordis sui, quasi pessulis, DEI præsentiâ obfirmans in tuto erunt omnia; quod si fortior superveniens loco cedere jubebit captivatum, arma in quibus fiduciam habebat spolij loco auferet, omnesquè virtutes, quæ hactenus magno labore erant conquisitæ per contraria vitia hincinde disperget, adeò, quòd nequè locum relinquet, ubi Troja fuit, ædificij spiritualis.

7. Nequè Obedientia professa illæsa servatur, quum murmurationi contra mandata Superioris locus datur. Hinc D. Benedictus in sua Regula cap. 6. inquit: *Malô animô si obedit Discipulus, & non solùm ore, verùm etiam corde murmuraverit, etiam si impleat jussionem, tamen acceptum*

jam non erit DEO, qui cor respicit murmurantis, & pro tali facto nullam consequitur gratiam, imò pœnam murmurantium incurrit. Huic malo vinctas, qui dedêre manus meritò illi subscribunt parti, quæ olim querulabatur, uti habetur Joann. 6. 61. *Durus est hic sermo, & quis potest eum audire?* Eapropter *multi discipulorum JESU abierunt retro; & jam non cum illo ambulabant.* ibid. ℣. 67. O sortem infaustam! Sortem mille titulis deplorandam!

8. Quæ nè & in te cadat Dilectissime in Christo Frater Professande, seriò allabores, ita operas villicationis tuæ sinè intermissione loces, quemadmodùm defacto appromittes. Quod si feceris, cùm tempus propinguæ mortis advenerit, de gloria retributionis hilaresces æviternæ.

EXHORTATIO XXI. ad unū.

Non est, qui rediret, & daret gloriam DEO, nisì hic. Luc. 17. 18.

1. OMni, & universæ posteritati commendabilem habuit morem Rex ille, quem Doctissimus Speranza Script. Sel. punct. 156. jugiter asseverat, omnia sibi collata beneficia in ephemerides retulisse. Constanter hic habebat non solùm præ oculis, ast & præ manibus annalium

lium volumen, & posteaquam sibi quidpiam à quoquam gratitudine dignum præstabatur, illud omni diligentia annotavit, & data occasione recompensare allaboravit omni possibili modalitate.

2. Dilectissime in Christo Frater Professande! Rex regum cujus ad nutum famulatûr æther, qui verbô virtutis suæ cælum, & terram ex nihilo creavit, à cujus nutu omnis dependet potestas, quantum cumulum nobis contulit beneficiorum, & defactò conferre non cessat, quis edicet? Enimverò, cùm non essemus, dedit nobis esse; cùm malè fuissemus, subvenit; ut simus, allaborat; Verè igitur dignum, & justum est, ut illi omnis mortalis omni meliori, & possibili modo gratus, vitæ suæ totius tractu, existat, & iterum non in cassum. Nam habet ille codicillos foris, & intus scriptos, in quibus diligenter notat quidquid sibi gratitudinis à suis exhibetur, id totum æterna mercede recompensaturus. Quî ergo tu hunc præcepti apicem implebis? Optimè, dum vota Religiosa: Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam ad amussim observabis. Quod, ut alacriùs præstes, vel illa allicient, quæ ulteriori adducam discursu. Fave.

3. Inter illas octo, quas Incarnatum Æterni Patris Verbum (Matth. 5) Ecclesiæ suæ militanti tradidit olim beatitudines, primum locum tenet Paupertas in tantum, quòd etiam ipsi Martyrio anteferatur. Verùm: notandum benè,

Servatorem nostrum' in illa beatitudine non de quacunquè loqui paupertate, ast de paupertate spiritûs, quæ nimirùm dictante spiritu sustinetur, & assummitur liberè, ac sponte. De hac S. Basilius in reg breviore interrogatione 205. ita habet: *Hi sunt mendici spiritûs, qui non aliam ullam ob causam ad mendicitatem devenerunt, quàm ob doctrinam Domini qui dixit:* Vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus.

4. Hanc paupertatem SS. PP. miris, magnisquè laudum encomijs semper, passim ore disertissimo, passim calamô fusô pene ad astra (ut ita loquar) extulêre, & adhucdum efferre non cessant. Audiamus, quæso, qualiter de illa sentiat Climacus grad. 17. *Paupertas*, inquit, *est abdicatio sollicitudinum sæculi, iter ad DEUM sinè impedimento, expulsio omnis tristitiæ, fundamentum pacis, munditia vitæ transeuntis, & facit, ut DEI mandata perfectè exequamur.* Cujus auream doctrinam, hâc D. Ambrosij, velut annulum aureum, nobiliori gemma concludere libet: *Quemadmodum rerum facultates instrumenta sunt omnium vitiorum; sic harum abnegatio genitrix, & nutrix est omnium virtutum.*

5. Hanc paupertatem DEI Filius adeò suspexit, & dilexit, ut eam in primo in hunc mundum ingressu velut matrem incredibili cordis affectu amplexus sit. Hinc videre licet, quòd adeò

adeò pauper fuerit Christus Dominus, ut nec locus ei in diversorio suppeteret, ideo ad stabulum divertere coactus fuit. Natus non in molli lectulo, sed in rigido voluit deponi fæno. Paulò post profugus in Ægyptum cum Sanctissima Matre sua Maria, & Nutritio Josepho, quid non patiebatur? Qualem non rerum oppidò necessariarum egestatem, & penuriam hi tres sufferebant? Per septem enimverò annorum decursum, inter efferos, & barbaros homines degentes nec panem sufficientem habebant. Silentiô prætereo eorum domicilium, quod fossa erat sub quadam domo subruta, ut testatur Quaresmus libr. 8. Peregrinationis part. 2. cap. 7. quoniam nemo illos hospitiô dignabatur. Nihil dico de hujus Sacræ Familiæ reliquis incommoditatibus: nam lectus pro Sanctissima Matre erat hirta tellus; nec molliorem sortitus D. Josephus: pro Jesulo verò cunæ ex rudibus asseribus compactæ. Tota deniquè Salvatoris nostri vita, non duntaxat pauper, ast ipsa planè pauperies dicenda erat. Erat quippe pauper, pauperior pauperrimus. Pauper, quia nudus, ab omnibus ludibriô habitus in cruce inter duos latrones pependit; pauperior, quia vehementi siti æstuans neque haustum frigidæ habuit; pauperrimus, quia non habuit ubi sacratissimum suum caput reclinaret, uti conqueritur ipse apud suum Evangelistam Matth. 8. 20. dicens: *Vulpes foveas*

habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. Ast cur hanc pauperiem subire, & sustinere voluit? Non aliam profectò ob rationem, quàm, ut ejus excellentiam, & perfectionem nobis manifestaret, atquè ad eam amplectendam, & corde toto, & animô custodiendam suô nos provocaret, & animaret exemplô. Dicit enim Joann. 13. 15. *Exemplum dedi vobis, ut quemadmodum ego feci, ita, & vos faciatis.*

6. Quòd Castitas Angelica ex hominibus efficiat Angelos, unanimiter concludunt SS. PP. Hanc verò ut Christi sequaces omnibus modis custodiant illibatam ita Doctor Gentium Paulus 1. Thess. 4. 3. 4. præmunit dicens: *Hæc est voluntas DEI, sanctificatio vestra; ut abstineatis vos à fornicatione, ut sciat unusquisquè vestrûm vas suum possidere in sanctificatione, & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes, quæ ignorant DEUM.* Jam verò quantùm lasciviam, quæ Religiosis insidiari sæpenumero solet, exhorrere omnes deceat Monachos, facilè quisquè videat, qui illos attendat propter regnum cælorum se proprijs votis castrâsse, totos se DEO consecrâsse, atquè devovisse, & ita secundùm omnia membra templum esse Spiritûs S. Eorum est quotidie divinis vacare, frequentiùs Sacramenta percipere, pro suis, ac Ecclesiæ peccatis Sacrificia, DEO puritatis amatori offerre. Quibus

bus sanè, ut debent haud quæant intendere, nisi cordis, ac corporis castimoniam jugiter custodiant, nisì vitam ab omni spurcitia, atquè immundicia planè alienam exigant. Etenim (Paulô Ephes. 5. 5. affirmante) *omnis fornicator, aut immundus - - non habet hæreditatem in regno Christi, & DEI. Felix proinde sterilis, & incoinquinata, nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum: & spado, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus DEUM nequissima; dabitur enim ei fidei donum electum, & sors in templo DEI acceptissima. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus, & quæ non concidat radix sapientiæ: Filij autem adulterorum in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Et si quidem longæ vitæ erunt, in nihilum computabuntur, & sinè honore erit novissima senectus illorum. Et si celeriùs defuncti fuerint, non habebunt spem, nec in die agnitionis allocutionem. Nationis enim iniquæ diræ sunt consummationes.* Sapient. 4. 13. & sequent.

7. Quum nonnunquā bini in sua arte pictores periti pro raro æmularentur præmio, firmamentum suô penicillô vivaciùs exprimeret eorum quis? alter illorum in hocce exprimit omnes non postremô artificiô stellarum distinctiones, planetarumquè varietates: alius solem tantumodò adumbrat. Quô factô Iudicem accedunt, discernat præmium cui veniat rogantes.

Fertur decisiva, illi deberi, firmamentum cum omnibus, quæ in eo inveniuntur, qui depinxit. Hoc auditô alius inquit: O Judex! nequaquam verum est, & æquum effatum tuum! Ergone ego lusum perdidi? Ergone alter, cælum artificiosiùs, quàm ego, expressit? Minimè: Nam licet ego solem duntaxat in firmamento collocârim; per hoc tamen neutiquam effingere omisi reliqua illius lumina: quòd verò non appareant? nihil refert, quoniam sol suis coruscantibus radijs ea ita velat, ut nequeant intueri. Et quis, quæso, splendente sole stellas conspicit? & nihilominus radiant semper. Hoc pensiculatiùs, dum considerat Judex, eum in hoc certamine pronunciat victorem, qui ingenioso labore solem tantùm exhibuit in sua pictura. Quorsum hæc? Audiamus Apostolum 1. Cor. 9. 24. dicentem: *Nescitis, quod ij, qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit bravium? Sic currite, ut comprehendatis.* Omnes, quotquot sumus in hac lachrymarum valle posteri Adæ currentes decertamus; ast unus præmiô acceptô gloriatur. Et quis quæso, est iste unus, & non obediens? Currit quidem castus, currit humilis, currit Christi pauper, currunt alij varijs virtutibus insigniti, sed omnibus facilè præcurrit obediens, adeò, ut præ cæteris vitam comprehendat æternam. Nam tametsi obediens

cæte-

cæteras virtutes haud videretur possidere; quia tamen obedientiâ præstat, quæ velut sol in anima splendet, omnes dubiô procul reliquas virtutes implicitè habere censetur. Cùm enim obedientia sit virtus, quâ exequimur jussa, & præcepta tum divina, tum humana; quà præcepta sunt, ideo perfectè quaslibet virtutes obtinebit obediens verus. Etvero:

8. In obedientia siquidem paupertas, castitas, & reliquæ includuntur virtutes. Nam si quis verè sit obediens, erit pauper, & castus, humilis, mansvetus, taciturnus, patiens, charitativus, modestus &c. adeoquè omnes assequetur virtutes: Virtutes namquè per frequentem suorum actuum frequentationem comparantur; hanc autem exercitationem obedientia subministrat. Etenim omnes regulæ, quas habemus, & cuncta Superiorum jussa, quid sunt aliud, quàm quoddam exercitium virtutum? Hinc communis SS. PP. doctrina est, quòd in tantùm aliquis in omnibus virtutibus profectum faciet, in quantùm in obedientia proficiet: unde eam omnium virturum matrem, & originem vocant. *Obedientia*, inquit, D. Legislator noster Aug. *maxima est virtus, & ut sic dixerim omnium origo, materquè virtutum.*

9. Benè olim Episcopus ille ad S. Abrahamum solitarium: *Ecce totum* mundum reliquisti, & quæ in eo sunt, & vitam crucifixam ample-

plexus es; attamen cùm hæc omnia compleveris, agnoſce te obedientiam, quæ cunctis virtutibus eminet, non habere. Senioris quoquè cujusdam aureæ ſententiæ ſunt, quæ habentur in vitis SS. PP. qui ita fatur: *Obedientia ſalus eſt omnium fidelium; obedientia regni cæleſtis nutrix eſt: obedientia cælos aperiens, & homines de terra elevans eſt: obedientia cohabitatrix Angelorum eſt: obedientia Sanctorum omnium cibus eſt: ex hac enim ablactati ſunt, & per hanc ad perfectionem venerunt.*

10. Hoc iter, hic callis, hæc ſemita & tibi Dilectiſſime in Chriſto Frater Profeſſande ſcandenda. Eja ſatage, ùt nè minimum quidem jota, quod erit obedientiæ profeſſæ uſpiam omittas. Malis quoquè quidcunquè ſubire, quam paupertatem Evangelicam, & caſtitatem Religioſam vel in minimo labefactare. Et fiet, quòd, dum tu perfectè vivendo eris gratus DEO in hoc ſæculo, erit quoquè & ille tibi gratus in futuro.

EXHOR-

EXHORTATIO XXII. ad unũ.

Unus autem ex illis, ut vidit, quia mundatus est, regressus est cum mngna voce magnificans DEUM, & cecidit in faciem ante pedes ejus gratias agens. Lucæ. 17. 15. 16.

1. NUllus est, qui, dum pensiculatiùs perpendat, quantum illud beneficium sit, quod Christus Dominus Samaritano contulit, quum illum à lepra mundavit, quin ei aggratuletur. Est enimverò ille modò alius longè ab illo, qui ante fuit. Nam antea fuit fætidus, & ulcerosus; nunc ecce integer, & vegetus: antea membrorum officiô erat destitutus; modò ad obeunda quævis munia conspicitur expeditus: antea sanie, taboquè diffundebatur; in præsentiarum corporis sanitate, artuumq; venustate jucundatur: nullus fuit, qui illum antea non refugeret, modò nullus est, qui admirabundus non suspiceret: antea omnes contagiosum halitum illius vitabant; modò nemo est, qui dicat societati molestum: olim dolorum vehementiâ prægravatus; modò corporis robore sibi constans: & quod pro

maximo reputari debet, ab insanabili, ac desperatissimo morbo, qui omnia artis remedia pro uno risu solet habere, in ictu oculi sanatur. Hinc non mirùm, quòd regressus procidat in faciem, gratias suo tàm magno Benefactori referendo. Et nequè sufficienter valet capere suam animi lætitiam, si præteritum suum statum revera miserum, lachrymabilem, & luctuosum præsenti cum felicitate metiatur.

2. Dilectissime in Christo Frater Profesſande! per hunc Evangelicum leprosum tuam felicitatem luce hodierna adumbratam volo. Nonne, ut O. DEO tanto acceptabiliùs offeras vota tua Religiosa; Paupertatem, Castitatem, & Obedientiam, ostendisti te Sacerdoti pro Sacro Tribunali sedenti, & mundatus es à lepra peccati. Sanus ecce factus es; noli ingeri recidivæ. Justificatus es; statum justitiæ conserves. Ast, quo pactô statum justitiæ conservabis? Salubrius remedium non invenio, quàm sollicitam curam Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, Religiosorum Votorum. Quod, ut fiat; vel illa efficaciori erunt motivo, quæ ulteriori adducam discursu. Fave.

3. Volens olim B. Paulus Evangelicæ Paupertatis amorem, & æstimationem suorum Corinthiorum imprimere cordi, ita ad illos ep. 2. cap. 8. ℣. 9. scribit: *Scitis gratiam Domini nostri JESU Christi, quoniam propter vos egenus*

factus

factus est, cùm esset dives, ut illius inopiâ vos divites essetis. Et quis, amabo, magìs dives esse poterit, quàm cui debetur regnum cælorum? Ast hoc debetur Christi pauperibus, ut ipsa æterna Veritas pronunciat dicens: *Beati Pauperes spiritu: quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Matth. 5. 3. Ubi solerter Abbas Claravallensis S. Ber. serm. 4. de Adv. observat Christum de hac beatitudine non esse locutum in futuro uti de alijs: *ipsorum erit*, sed in præsenti, *ipsorum est regnum cælorum.* Jam ergo pauper spiritu regnum cælorum habet, quamvis ei nondum sit traditum, quia id jam sibi mundi rebus, & cupedijs, quas amore Christi spontè ac liberè deseruit, comparavit, & *jus ad rem*, ut loquuntur Jurisconsulti aquisivit. Enimverò quemadmodum, ut ajt Rodriquez p. 3. tr. 3. c. 2. si centum aureos pro vase quopiam aureo, aut lapide pretioso, quem venditor adhuc domi habet, persolvas, jam tuum vas illud, aut lapis ille tuus est, tametsi necdum traditus, quippe jam tuo ære coëmptus: pari modo regnum cælorum jam tum ad pauperem spiritu spectat, quoniam ipse id omni eô, quod possidebat, aut possidere potuerat, emit.

4. Status etiam præsens horum pauperum adeò est beatus, ut ob ejus felicitatem jam in hac lachrymarum valle, regnum cælorum suô modô nuncupari possit. *Cùm enim regnum cælorum non sit esca, & potus*, ut inquit Doctor Gentium Paulus

lus Rom. 14. 17. *sed justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.* Quod spiritale gaudium, quia pauperes spiritu, in se experiuntur, meritò jam in præsenti vita regnum cælorum possidere videntur. Etenim pauperes spiritu, ut advertit Cornelius in Matth. 5. 3. etiam in hac vita jam re ipsa regnant, regno planè cælesti, longè faciliùs, feliciùsvè, quàm Reges, & Principes terræ. Hi enim veriùs sub gravissimæ gemunt servitutis jugo, quàm regnant. Nam multos patiuntur tyrannos discruciati ab avaritia, ira, invidia livore, cupiditate bonorum, ac vindictæ: Ast homo humilis, terrenarum facultatum, ac honorum inops, liber est ab ejusmodi curis, tranquillo semper pectore existens, securè expectans cælestia dona.

5. Porro quantæ excellentiæ, quantæ dignitatis, quantævè prærogativæ est Castitas Angelica, quàm Religiosa pectora profiteri, DEOquè litare consvevêre; ita nemo dixerit quantæ sit iniquitatis peccatum incontinentiæ, quô turpissimè violatur DEI templum, ejusquè imago conspurcatur, Christi membrum prophanatur, atquè scorto dedicatur. *Nescitis,* inquit Paulus 1. Cor. 6. 15. & sequent. *quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit. An nescitis quoniam, qui adhæret meretrici, unum corpus efficitur? Erunt enim* (Gen. 2. 24.) *duo in carne una,*

qui

qui autem adhæret Domino unus ſpiritus eſt. Fugite fornicationem. Omne peccatum, quodcunquè fecerit homo, extra corpus eſt, qui autem fornicatur in corpus ſuum peccat. An neſcitis quoniam membra veſtra templum ſunt Spiritus S. qui in vobis eſt, quem habetis à DEO, & non eſtis veſtri? Empti enim eſtis pretiô magnô: glorificate, & portate DEUM in corpore veſtro.

6. Revera horrendum eſt ſcelus, ſeipſum fædis cogitationibus, verbis, actionibus polluere in injuriam DEI Creatoris, Redemptoris, & Conſervatoris ſui. Nonne materiale templum DEI profanare, Regi membrum amputare, hujus imaginem illo ſpectante fædare, ac confringere, apud hominum vulgus peccata inexplicabilia hucusquè fuêre? quantò magìs illud eſt, quod vivo DEI templo, ejusquè membro, ac imagini factum fuerit?

7. Ut autem cuicunquè Religioſæ vitæ profeſſori majori adhuc ſit horrori incontinentia, illius alia detrimenta, & mala libet enarrare. Atqueadeò non tantùm illa humanum fædat, teſte Apoſtolo, & contaminat corpus; aſt menti etiam, affirmante S. Greg. libr. 31. moral cap. 31. cæcitatem adfert, ac inconſiderationem, inconſtantiam, præcipitationem, amorem ſui, odium DEI, affectum præſentis ſæculi, horrorem, vel deſperationem futuri. *Sævus* (inquit D. Ambros. libr. 1. de Cain, & Abel cap. 5.) *criminum ſtimu-*

mulus, libido est, quæ nunquã manere quietũ patitur, nocte affectũ, fervet, die anhelat, de somno excitat, à negotio abducit, à ratione revocat, aufert consilium, amentes inquietat lapsos inclinat, castis insidiatur, potiendo inflammat, usuquè accenditur, nullus peccandi modus, & inexplicabilis scelerum sitis.

8. Ubi est, quæso, Sodoma, & Gomorrha juratæ libidinis civitates? Hac peste infectæ, igne descendente in pentapolin unà cum adjacente regione, consumptæ interière, (Gen. 19. 24. 25.) *quibus in testimonium nequitiæ fumigabunda constat deserta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores, & incredibilis animæ memoria stans figmentum salis.* Sap. 10. 7. Ubi est Zambri filius Salu dux de cognatione, & tribu Simeonis; ubi Cozbi filia Sur Principis nobilissimi Madianitarum? Hoc toxico occubuêre. Numer. 25. 8. Ubi quoquè Onan filius Judæ? Pessimum consilium sequitur, pessima moritur morte. Gen. 38. 8. Ubi fortissimus ile Samson? Libido acuit novaculam; abscindit septem crines: fortitudo superatur manu Philisthinorum. Judic. 16. 19. & sequ. Hæc hæc filios Heli in bello prostravit (1. Reg. 4. 11.) Amon in convivio interfecit; Uriam occidit; Davidem gravissimæ subjecit vindictæ; Præsbyteros lapidavit; Ruben maledixit; Salomonem pervertit. Eapropter meritò tot, tantorumvè parens malorum, adeoquè diræ

mor.

mortis meritum, incontinentia à Monachis abhorretur, atquè omni ſedula diligentia cavetur, vel ex eo, quòd eos non lateat eam, quæ ſimplex in alijs eſſet fornicatio, vel adulterium, vel aliud quid ſimile, in his foret execrandum ſacrilegium, quô vas Domino conſecratum, & in honorem non in contumeliam electum impiè polluitur, contaminatur, conſpurcatur.

9. Refert S. Dorotheus apud Rodericum p. 3. tr. 5. cap. 1. de diſcipulo ſuo Doſitheo, quòd cùm nobilis eſſet juvenis, & delicatus; quidam metus de reddenda, Strictiſſimo Judici ratione ei incidit: quare, ut bonam rationem reddere poſſet, Religionem intravit; quòd autem naturâ debilis foret, & teneræ complexionis, conſvetas Religionis auſteritates ſequi non valebat; non ſummo mane ſurgere, non eis veſci cibis, quibus alij. Quamobrem in horum compenſationem, decrevit ſe totum quàm exactiſſimè obedientiæ dare; hinc magna promptitudine, & accuratione in noſocomio, ſicut & in reliquis humilitatis officijs famulatum præſtitit quinqueniô, quô elapsô ad cælites ſubvolavit: Revelatur tandem divinitùs Abbati Monaſterij Adoleſcentem Doſitheum eâdem in cælo gloriæ coronâ donatum eſſe, quâ Paulum, & Antonium. Quô auditô Monachi dixerunt: ubinam ergo juſtitia tua Domine, ut hominem, qui nunquam jejunavit, quiquè in delicijs educatus fuit, para-

re, & æquiparare velis nobis, qui totum Religionis ferimus pondus? Respondit Dominus, illos obedientiæ meritum, & valorem nescire, atquè per hanc juvenem exiguô illius temporis spatiô plùs, quàm alios multis austeritatibus, asperitatibus, & inedijs, ac pænitentijs meruisse. Hinc egregiè D. Hieronymus in Reg. Monachor. cap. 6. concludit exclamando: *O felix, & abundans gratia! in obedientia summa virtutum clausa est; nam simplici gressu ducit ad Christum.*

10. Concludo & ego jam discursum meum, tequè Dilectissime in Christo Frater Professande finaliter adhortor, ut talem te votis Religiosis exhibeas, qui magìs, & magìs dies, in dies justificeris, & fiet, quòd cum Apostolo 1. Cor. 15. 10. dicere audebis: *Gratia DEI sum id, quod sum, & gratia ejus in me vacua non fuit.* Quod, ut eveniat animitus exopto.

EXHORTATIO XXIII. ad unũ.

Nemo potest duobus Dominis servire. Matth. 6. 24.

1. COgitanti mihi, quî competentiùs præcitatis Evangelistæ verbis formem, ordiarquè præsentem discursum, venit in mentem illa meditatio, quam noster R. P. Ferdinandus Meislse-

isIseder in suo Deserto Ascetico sub die sexta, de duobus Ducibus, habet. Ponit ille in Præludio secundo campum latum, & spatiosum circa Babylonem, & in eo cathedram igneam, & fumantem, ex eaquè Luciferum formâ teterrimum suos adhortantem, ut homines ad luxuriam, ad avaritiam, ad cædes, odia feralia concitent, agitent passionibus cunctis. E contra verò ponit Christum prope Jerusalem in campo similiter in cathedra lucida, formâ venustum, & amabilem, suosquè discipulos hortantem, ut mundum universum adamorem DEI accendant, ad contemptum divitiarum, & fugam voluptatum inducant.

2. Dilectissime in Christo Frater Professande! quis horum Ducum placet invitator? Primi, video, execraris servitutem; dum alterius famulatui per vota Religiosa: Paupertatẽ, Castitatẽ, & Obedientiã nomen dare decrevisti. Age, talem te præbeas famulũ, ut nuspiam primo operas locare videaris. Ad quod effectuandũ vel illa addent calcar, quæ hìc, & nunc indicabo. Fave.

3. Quòd Religiosæ Congregationes Paupertatem Evangelicam profiteri consveverint; non faciunt gratis. Audiatur ipsa æterna Veritas, quæ apud suum Evangelistam Matth. 19. 29. ita dicit: *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.*

Hoc *centuplum*, quod pauper spiritu est accepturus, tam de acceptione in hac vita, quàm de altera in futuro danda intelligendum esse eadem Veritas declarat. Enimverò apud alium iterum Evangelistam Mar. 10. 29. 30. luculenter inquit: *Nèmo est, qui reliquerit domum, aut fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut filios, aut agros, propter me, & propter Evangelium, qui non accipiat centies tantum, nunc in tempore hoc, domos, & fratres, & sorores, & filios, & agros cum persecutionibus, & in sæculo futuro vitam æternam.*

4. Quærit hìc loci Petrus Damiani: *Quid est* (inquiens) *centuplum istud?* Et mox sibi ipsi respondet: *centuplum istud non est aliud, nisì consolationes, visionesquè, & primitiæ spiritûs, qui super mel dulcis est. Quid est hoc centuplum? nisì testimonium bonæ conscientiæ, nisì læta, & jucundissima expectatio Iustorum? nisì memoria abundantiæ svavitatis DEI? & magna verè multitudo dulcedinis ejus, quam nec expertis necesse est dicere, nec inexpertis ullis verbis exprimere quisquam potest.* Centuplum ergo recipiet pauper spiritu; quia Religiosus, dum cunctas opes mundanas, & sæculi divitias, amore DEI relinquit, & spernit, in ditissimum omnino evadit virum. Nam teste Climaco magno vitæ spiritualis Magistro: *Monachus nudus, est totius mundi Dominus*. Magìs quippe rerum mundanarum Dominus est, & Possessor, quàm ipsimet divites; siquidem illi divi-

divitiarum suarum non sunt Domini, sed earum mancipia, & servi. Hinc per Psalmographum Psal. 75. 6. vocitantur *viri divitiarum*. Non ait Psaltes virorum divitias, sed vice versa, viri divitiarum, ut ostendat ipsis divitias dominari; ipsæ siquidem imperant, & præcipiunt; hi verò velut earum mancipia illis obsequenter ancillantur, quia illarum causâ laborant, noctes, diesquè desudant, tum ad eas amplificandas, tum comparandas, tum conservandas. Contra verò paupertatis sectatores, dum res fluxas, & caducas pessumdant, & contemnunt, revera dominio, & ditioni suæ easdem subjiciunt, sequè cunctarum sæculi facultatum, divitiarumvè Dominos constituunt, & possessores. Quò etiam alludit Apostolus Cornthijs ep. 2. cap. 6. ℣. 10. scribens: *Tamquam nihil habentes, & omnia possidentes.*

5. Dum quis contra professam delinquit Castitatem, placeat videre quanti fecerint Patres hujus sacrilegij enormitatem. Unicum adduco Ambrosium in talem sacrilegum ita invehentem: *De te fili serpentis, minister diaboli, violator templi DEI, qui uno scelere duo crimina perpetrâsti, adulterium, & sacrilegium: sacrilegium planè, ubi vas Christo oblatum, Domino consecratum, dementi temeritate polluisti. Baltbasar ille Persarum Rex* (Dan. 5.) *qui in vasis Domini, quæ in templo Hierosolymis fuerant à patre ablata, bibere cum amicis, & concubinis*

usurpavit, ipsa nocte Angeli manu percussus crudeli morte punitus est. Quid de te arbitraris perdite pariter, & proditor, qui vas rationale & consecratum Domino, sanctificatum Spiritui Sancto impiè temerâsti, sacrilegiô polluisti, & tui propositi immemor, & divini judicij contemptor? Meliùs enim fuerit te omnino non fuisse natum, quàm sic natum, ut te gehenna sibi filium vendicaret. Et postea: do tibi consilium, petas ultro carcerem pænitentiæ, obstringas catenis viscera, gemitibus animam tuam, jejunijsquè discrucies, preces sanctorum petas, jaceas sub pedibus electorum, nè per cor impænitens thezaurizes tibi (Rom. 2. 5.) *iram in die justi judicij, qui reddet singulis secundùm opera sua.*

6. Tantum olim facinus est putatum virginitatem devotam violare ut legibus civilibus fuerit punitum. *Si quis* (inquit Imperator 1. libr. codic. 3. const. 5. & 13. tit. 1. novell.) *virginem, uxorem tantummodo ducere cogitaverit, capitali pæna feritur. Et quæ Diaconissæ ordinantur, admonentor, & sciunto, quòd si contractô matrimoniô, aliavè ratione suscepta, dedecorare ordinationem ausæ fuerint, reæ mortis fient, & facultates suæ Monasterijs, aut Ecclesijs suis applicabuntur. Qui verò ducere eas, aut constuprare ausi fuerint, gladio obnoxij erunt, eorumquè substantiam fiscus capiet.*

7. Verùm licet ejusmodi leges in eos, qui varijs libidinis, affectionibus, & modis

men-

mentem ſuam ſolam polluunt, non ferantur; ſcire tamen expedit, hos non minùs mæchos fore apud DEUM, quàm qui ipſum actum perficiunt Sapientia Incarnata apud Matthæum cap. 5. 28. atteſtante, & dicente: *Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam mæchatus eſt eam in corde ſuo.* Apoſtolus autem 1. Tim. 5. 12. ita fatur: *Cùm luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.*

8. Rarus ille Aſceſeologiæ Magiſter Joannes Climacus gradu 4. docet: per Obedientiam non modò velociter, ſed & faciliter ad perfectionem veniri; ajt enim: *Obedientia eſt confectum dormiendo iter.* Quod S. Bernardinus Senenſis hac probat ſimilitudine: *ſicut qui eſt in navi, comedendo, bibendo, & dormiendo progreditur; quia movetur alieno motu: sic verus obediens in Religione, comedendo, bibendo, & dormiendo, & alia opera bona operando meretur.*

9. Huic veritati, ut nulla videatur ſummiſceri ſuſpicio, tale adduco exemplum. Quidam ſenex, (referente S. Dorotheo Doctr. 11.) cùm Fratres noctu pſallerent, Angelum prodeuntem, & calicem cum hoſtia portantem vidit, inquem intingens ſignabat frontes præſentium, imò & aliquorum abſentium ſedes, quia ex obedientia aberant, commune tamen præmium reportabant.

10. Huc refertur illud, quòd Obedientia

hominem DEO charissimum efficiat, cùm teste S. Thoma 2. 2. q. 186. a. 5. ad 5. nihil DEO sit gratiùs, quàm si propriam voluntatem quis propter ipsum relinquat. Et vero: si enimverò Abraham tantopere placuit DEO, qui voluit tantùm sacrificare filium suum (Gen. 22. 10.) & per hoc DEO obedire, quantò magis ei placebit, qui actu non alium, sed semetipsum per obedientiam immolaverit. Non immeritò ergo S. Dorotheus, ut ipsemet Doctr. 5. refert, totũ se à juventute obedientiæ tradidit; qui hoc inde emolumentum est consecutus, quòd nullas sentiret afflictiones, & cùm propterea non parùm anxius esset, arbitrans hoc non esse signum bonum, à Joanne Abbate audivit: illos esse pacatissimos, jucundissimos, & quietissimos, qui se Patrum obedientiæ tradidissent.

II. Tradas te & tu Dilectissime in Christo Frater Professande eidem, & quod nominatus Sanctus ab Abbate audivit, opere consequeris. Amplectaris paupertatem Evangelicam in tantum, quòd læto, patientiquè animo semper feras rei alicujus defectum, quæ tibi aliquô modô necessaria videtur, imò te etiam rebus necessarijs semper reputa indignum, ac curam nimiam, & superfluam rerum necessariarum occasione data, dum, & quando videlicet stygius hostis ad illam animum reflectere ausum ibit, rejice in providentiam cælestem, DEO pauperum Patri confidendo. Quòd si superfluum quidpiam non-

nun-

nunquam offeretur, illud repudia ultro, citroquè. Nequè usquam erga res usui tuo concessas afficiare vehementer, nequè anxiè timeas, nè subjaceant fisco. Esto castitatis custos in tantum, quòd abhorreas conversari cum personis sexûs differentis ex inclinatione naturæ, quæ ubiquè te quæret, etsi sub specie boni, aut obsequij spiritualis. Quod si talem te in famulatu Christi Domini probaveris servitorem, efficieris ille, qui audire merearis: *Venite ad me omnes, qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.* Matth. 11. 28. Reficiet te Christus Dux tuus in hoc sæculo varia charismatum dona tribuendo, & in futuro vitam æternam conferendo. Quod, ut eveniat jugiter exopto.

EXHORTATIO XXIV. ad unũ.

Tu Domine, ostende, quem elegeris accipere locum ministerij hujus, & Apostolatûs, de quo prævaricatus est Judas. Act. 1. 24. 25.

1. EXtendat se licet Principum terrenorum à mari, usquè ad mare potestas; audiant, qui totum, clavô regant orbem terarum, minimè tamen tales esse valent absquè obsequio sub-

ſubditorum. Felicitas enimverò horum ab aliorum pendet affectu, nec amiſsô unô ad manum habent, quod ſuæ ſubdant poteſtati regnum. Longè diſſimilis ratio eſt in Principe illo, cujus principatus eſt ſuper humerum ejus, in Rege, inquam, Regum, & Domino Dominantium: hic enim ex ſe ipſo fèlix à toto cælo, à tota terra proclamatur, nullam omnino dependentiam habens ab aliqua creatura: hinc, quamquam ei ab aliquo debitum non præſtetur obſequium, num putari debet ex eo defuturos alios, qui Supremæ, & incomprehenſibili Majeſtati exactiſſimam, fideliſſimamvè exhibeant ſervitutem? an putari debet, ideo DEO quidquam decedere in gloria ſua? errat, qui ita ſupponit. Quid confert DEO, ſi quis fuerit juſtus? (Job. 22. 3.) Habet DEUS poteſtatem illam, quòd pro uno poſſit ſuſcitare alterum, pro illo ſalvare iſtum. Illam quidem naturam habet DEUS, quòd non velit, ut quiſpiam terrigenarum pereat eviternè Propheta Ezech. 33. 11. atteſtante; aſt ut cum illo regnet in cælis in perpetuas æternitates: ideo etiam media omnia illi ad ſalutem idonea ſubminiſtrat. Quid fecit, imò quid non fecit, ut Judam, qui olim oſculô tradidit neci atrociſſimæ filium hominis ad frugem bonam reduceret? cibavit illum ſua carne ſacratiſſima, & ſanguine pretioſiſſimo potavit, pedes illius ſordidos lavit, amicum vocavit. Verùm

his

his non attentis, abijt nequissimus mercator, ex Apostolo factus apostata. Abeat quò ibet! surdam præbuit aurem instinctibus divinis: præbeat! in desperationem actus laqueô se suspendit: suspendat se! nihil DEO derogatur, Apostolatûs officium confertur Matthiæ. *Cecidit sors super Mathiam.* Act. 1. 26.

2. Dilectissime in Christo Frater Profes- sande! sicut nobis omnibus, ita & tibi non mediocriter metuendum est, nè, si languidè, & oscitanter vivendo debitam DEO reverentiam, & honorem non exhibeas, ille te rejiciat, & aliũ substituat eum in modum, quô in Apostolatum, *de quo prævaricatus est Judas* substituit. Ne, si contra id, quod modo promittes ausùm ibis, æternùm pereas, & alius tui loco salvetur. Consequentia in forma: ergo vota Religiosa, Paupertas videlicet, Castitas, & Obedientia, erunt tibi summopere custodienda. Quod, ut facias, vel illa allicient, quæ subsequo adducam discursu. Fave.

3. Evangelicæ Paupertatis sectatorum, nullus est, qui condignè, imò congruè, vel saltem ex aliqua parte sufficienter valeat enarrare felicitatem, Quid? an non est ista etiam magna illorum felicitas, quoniam internarum amaritudinum morsibus, variarumvè sollicitudinum, & curarum aculeis expertes existunt, quibus terrena-

renarum opum aſſeclæ identidem impetuntur, & mirum in modum diſcrutiantur. Quòd ſi id aliquam pariat ſuſpicionem? appage: percontemur mundi amatores, & quidem illos qui inter illos feliciſſimi habentur; & certè deveniemus, quibusnam ad ſingula prope momenta, moleſtijs excruciantur, & anguntur à quibus pauperes ſpiritu prorſus alieni exiſtunt, & immunes. Quod aureum os Chryſoſtomi hom. 22. ad pop. hac ſimilitudine probat, & confirmat: *Quemadmodum enim* (inquit ille l. c.) *tres juvenes hebræi non adorantes ſtatuam auream Nabuchodonoſoris in medijs flammarum globis tuti fuerunt, ita pariter & qui auream monetæ ſtatuā, reliquasquè mundi opes non adorant, etſi in afflictionum flammis conſtituti, manebunt nihilominus ſecuri, & pacifici laudantes DEUM, & benedicentes.*

4. Rectè ad materiam noſtram digna hiſtoria, quæ in Opuſculis S. Franciſci Seraphici legitur, occurit: Cùm S. hic Pater cum B. Maſſæo iter faceret in Provinciam Franciæ, in quadam ſolitudine invenerunt fontem limpidiſſimum, cujus ad oram erat lapis magnus, & altus ad modum menſæ, cui ſuperimpoſuerunt fruſtula panis, quæ in quodam pago oſtiatim pro eleemoſynis acceperunt, ſpiritu perquam hilari in tanta paupertate dicit B. Pater ad ſocium: *non ſumus digni tantò theſaurò.* Quæ verba multoties repetenti ajt ſocius: quomodò poteſt dici

ma-

magnus thesaurus, ubi tanta urget paupertas? *Hoc* (inquit Pater) *Magnum reputo thesaurum, hanc pretiosam judico mensam, ubi nihil est humanâ industriâ elaboratum, totum est divinâ providentiâ ministratum.*

5. Ad rem etiam quidam ex illis Sanctis Eremi cultoribus interrogatus, an paupertas esset bonum perfectum? respondit: Magna res est voluntaria paupertas, & qui eam possidet, tribulationem quidem carnis habiturum sed inventurum animæ suæ requiem se confidat. Hinc apposité Doctor Mariano Extaticus D. Bonaventura in illud: *Quærite primùm regnum* DEI commentans subinfert dicendo: *Qui ex gratia vult donare cælestia, cur etiam temporalia, & parva ab eo non speremus? aut ergo dabit nobis necessaria inquantum expedit nobis, aut vires corporis ad sustinendum penurias, aut spiritualem dulcedinem meliorem carnali, & insuper præmium cæleste.* Atqueadeò his adductis, optimè locatam autumo Evangelicam paupertatem.

6. Quia verò inter omnia certamina eorum, qui Christi vestigia sequuntur, duriora sunt prælia castitatis (*ibi*, inquit D. Legislator noster Augustinus, *continua est pugna, & rara victoria*) cumprimìs hic fugâ opus est. *Monachus* (ajt Dalmata purpuratus contra Vigil.) *sciens imbecillitatem suam, & vas fragile, quod portat, timet*

met offendere, nè impingat, corruat, ac frangatur. Unde & mulierum, maximè adolescentularum, vitat aspectum, & in tantum est castigator sui, ut etiam quæ tuta sunt, pertimescat. Apostolus etiam sinè intermissione cohortatur 1. Cor. 6. 18. dicens: *Fugite fornicationem. Omne peccatū quodcunquè fecerit homo, extra corpus est, qui autem formicatur, in corpus suum peccat.* Fugitur autem optimè fornicatio, dum ejus vitari conantur occasiones, quas Poëta sequenti describit versu:

Otia, segnities, somnus, caro, fœmina, vinum,
Prosperitas, ludus, carmina, forma, puer.

Ante omnia ergo fæminæ sunt vitandæ, id est earum familiaritates, colloquia, aspectus, oscula, contactus. Hinc Sapiens Domini Eccli. 42. 12. 13. suadet: *In medio mulierum noli commorari: de vestimentis enim procedit tinea, & à muliere iniquitas viri.* Et ibid. cap. 9. ℣. 8. & 9. ita habet: *Averte faciem tuam à muliere compta, & nè circumspicias speciem alienam, propter speciem mulieris multi perierunt, & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescet.* O quot, quantorumvè numero hic ignis fuit occasio incendij sempiterni, utpote transgressionis pater, auriga malitiæ, sicarius virtutum, magister nocendi, fovea scandali, ac radix omnium malorum.

7. Turpè admodùm est concupiscentiæ car-

carnali servire; cui quò viciniorem se quis probat, tantò plùs distat à Christo, qui fuit candor lucis æternæ. Torret sitis, opponitur potus, fames cruciat, opponitur esca; morbus gravat, opponitur medicina; lancinanti concupiscentiæ, DEI opponatur charitas necesse. Facilè omniũ reliquorum abjectissimorum objectorum concupiscentia extinguetur, si solus amor DEI in corde ardebit. O quam volupe est, voluptatem despicere! O quàm miserum est, rodentem concupiscentiam nutrire! Plus quàm certum! nisi seipsum quilibet mortificaverit, luctabitur semper, nulli magis, quàm sibi molestus; nisi motibus concupiscentiæ hæroicum opposuerit pectus antequam flos emarcescat castitatis, cantabunt triumphum.

8. Obedientiam esse ex certioribus signis prædestinationis unum, continuò affirmant Ascetæ; quia hæc sola via, sicut à voluntate propria est remotissima; ita multis ambagibus, aut erroribus minimè est obnoxia. Hinc Christus Matth. 19. 17. *Si vis* (inquit) *ad vitam ingredi, serva mandata.* Meritò ergo dixit Climacus gradu 4. *Si quis conscientiam suam in Patris spiritualis subjectione servavit mundissimam, hic jam mortem ut somnum, imò verò ut vitam quotidie intrepidè expectat, certissimè sciens obitûs tempore sui ipsius non à se, sed à Patre rationem esse requirendam.* Id, quod ipse Pater cælestis quondam

S. Catharinæ Senensi Dial. cap. 163. revelavit dicens: *Verus obediens non obligatur mihi rationem reddere de se, sed solummodò Prælatus, cui subditus extitit.*

9. Obedientia est etiam clavis, quâ Christus cælum aperuit, quam in manu Superioris tamquam Vicarij sui reliquit. Quare D. Bernardus serm. 28. in Cant. Cant. non dubitat dicere: *Dignus ero, qui DEUM videam, si priusquã videam, obedisse inveniar; securus videbo, ad quem obedientiæ meæ munus præcesserit.* Frater quoquè ejus Gerardus, uti habetur in libro de doctr. Bern. morti vicinus cùm in spiritu raptus esset, post triduum ad se reversus dixit: *Bona est obedientia; ad tribunal. Christi fui, animas Sanctorum vidi, ipsumquè mihi dicentem: ecce locus tuus inter fratres tuos, nullus ordinis tui peribit si ordinem amaverit, aut in morte purgabitur, aut in brevi post mortem.*

10. Nec minùs memorabile est, quod alteri cuipiam Religioso ex Ordine S. Hieronymi (referente Petro de Vega in historia sui Ordinis) evenisse notatur. Hic post visitationem à Sanctis, quos singulariter colebat, sibi factam, in hæc prorupit verba: Doleo me tam parùm in Religione laborâsse; sed propter passionem, & crucem Christi, & Religionis obedientiam, quam observavi, vado ad regna cælorum, & hoc mihi Dominus manifestavit ad consolationem,

nem, & ædificationem Religioſorum, & ut tepidi, ac neglientes vitam immutent. Quibus dictis placidiſſimè expiravit.

11. Porro ulteriùs quàm tuta ſit per obedientiam via ad cælum, colligere eſt ex viſione quadam S. Gertrudi facta, & reperitur libr. 5. in ſin. cap. 24. Huic enim S. Virgini oſtendebatur via animarum ad cælum in ſimilitudine aſſeris valdè proclivis, qui difficulter poterat aſcendi; unde aſcendentes ſe juvabant ambabus manibus, & ex utraquè parte erant dæmones impedientes. Religioſorum tamen obedientium aſſer habebat ex utraq; parte perticas, & prætérea etiam Angeli eos in aſcenſu juvabant. Hinc meritò Salomon Prov. 21. 28. ajt: *Vir obediens loquetur victorias*, id eſt: triumphabit, ac proſternet ſuos hoſtes regium hoc ad cælum iter volentes impedire.

12. Proſternes & tu eosdem Dilectiſſime in Chriſto Frater Profeſſande, ſi promptè, generosè, humiliter, & ſinè oblocutione ſtudebis ea exequi, quæ tibi præcipientur; ſi nullum bonum quæres, quàm illud bonum, quod eſt ſuper omne bonum; ſi omnes, quæ carnis ſunt ſpurcitiæ, cultrô abſcideris mortificationis: ſicquè Votis tuis Religioſis non cades locô miniſterij *de quo prævaricatus eſt Judas.* Quod, ut eveniat candido pectore exopto.

EXHORTATIO XXV. ad plures.

Invenietis requiem animabus vestris: jugum enim meum suave est, & onus meum leve. Matth. 11. 29. 30.

1. Eò dementiæ olim devenêre Israelitæ, quòd planè ausi fuêre subducere cervices jugo Assyriorum, quod illis Nabuchodonosor Rex imposuit. Hinc sumptis rebellibus armis interficiunt Godoliam Provinciæ tributariæ Præfectum; despiciunt imperia; recusant tributa, idquè totum, ut advertit Lyrannus in Isa. cap. 30. *Ex confidentia Regis Ægypti.* Hujus fortitudini, & auxilio confisi fædus, & pacem rumpunt, atq; collectis suis divitijs turmatim in Ægypti oras se conferunt sub umbra potentissimi sui protectoris, ut sperant, aurea pace, & quiete fruituri. Opponunt se tumultuario consilio, ast cum monita in vanum abeant, Isaias illis vaticinatur: *Væ filij desertores, dicit Dominus, ut faceretis consilium, & non ex me, & ordiremini telam, & non per spiritum meum, ut adderetis peccatum super peccatum, qui ambulatis, ut descendatis in Ægyptum & os meum non interrogâstis sperantes auxilium in fortitudine Pharaonis, & habentes fiduciam in umbra Ægy-*

Ægypti. Et erit vobis fortitudo Pharaonis in confusionem, & fiducia umbræ Ægypti in ignominiam. Jſa. 30. 1. & ſequ.

2. Id quòd ita eventus monſtrat. Quippe Aſſirius monarcha rebellionis injuriam vindicaturus Pharaonem unà cum Jſráële opprimit, illosquè qui longè non ab hinc exigui tributi exactioni refragarios ſe probârant, vinculis adſtrictos in captivitatem rapit, eisquè grave *onus* (ibidem ℣. 6.) *jumentorum* imponit: laborare, ſudore, laſſari debeant, velut *quadrupedes in deſerto*, prouti explicatum volunt hunc locum Septuaginta.

3. Per refragarios Jſraelitas Gloſſa intelligit eos, qui poſt vanitates, & inſanias mundi falſas abiêre, quiquè Creatore, & Conſervatore mundi, ac ſuò deſerto ſæculi perverſi erroribus ſe ſe, abſquè rubore, & verecundia dedêre. Hi enim dum ſervitij DEI jugum de cervicibus ſuis excutiunt, & illas ſubmittunt jugo ſervitutis Pharaonis illius infernalis, quid putamus, quæ illæ deliciæ, quas ultro, citroquè quæritant? vinculis adſtricti in captivitatem rapti laborant, ſudant, laſſantur velut *quadrupedes in deſerto.* Enimverò illos intolerabili jugo, jugô non jam hominum, aſt jumentorum onerat averni princeps, & ſpe ſua, quam in illius protectione locârant, fallaciter defraudat. Quid multis? jugum diaboli, quo ſuos ſequaces premit, intolerabile

est, non verò præceptorum DEI. Expertus fatetur Psaltes: *Iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum, & sicut onus grave gravatæ sunt super me.* Psal. 37. 5. Et quid primò Consiliorum ejus? quàm leve sit experiemini Dilectissimi in Christo Fratres Professandi, dum Votis Religiosis Paupertate nimirum, Castitate, & Obedientia contra non deviando gustabitis suavitatē. Quod, ut faciatis, vel illa addent calcar, quæ ulteriori adducam discursu. Favete.

4. Modicum, aut ferè nihil est, quod Paupertatis Religiosæ Professores in sæculo deserunt; ast quod in Ordine comparant, illud amplum est. Enimverò Socrates Alcibiadem divitias suas jactitantem adducit ad tabulam, in qua totius terræ erat ambitus desriptus, rogatquè, ut in ea Atticam inveniat, quam cùm ille ostendit, rogat item, ut suos fundos indicet: cùm respondet nusquam illic esse depictos, cur ergo, ait, eorum possessione te effers, quæ nulla terræ portio sunt? Adeo sunt exigua, quæ à quibusdam possidebantur in sæculo, ut vix percipi valeant, & quamquam magna appareant, tamen nulla ferè essent in comparatione eorum, quæ in Religione aquisiverunt. Hinc Trithemius lib. de Viris Illustr. cap. 2. de Ordine S. Benedicti, cujus ipse erat alumnus, affirmare audet: *Si omnes ei suæ possessiones manerent, futurum*

sinè

finè dubio ut S. Benedictus tertiam Christiani orbis partem possideret. Quod nemo mirabitur, si temporum illorum pietatem attendat, ex qua illa liberalitas in DEUM, ejusquè famulos existebat. Verè de paupere Evangelico illud dici potest: *Est quasi dives, cùm nihil habeat.* Prov. 13. 7. Sunt, inquam, Viri Religiosi, *tamquam nihil habentes, & omnia possidentes* 2. Cor. 6. 10. Quare optimè Abbas Claravallensis S. Bernardus serm. 21. in Cant. *Non putent*, inquit, *divites hujus sæculi fratres Christi sola possidere cælestia, quia audiunt dicentem:* Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum. *Possident & terrena, & quidem* tamquam nihil habentes, & omnia pòssidentes, *eo procertò magìs domini, quò minùs cupiant.* Patet igitur clariùs lùce quomodo voluntaria paupertas etiam in præsenti amplâ substantiâ compensetur.

5. Ast dicet fortassis nonemo: habebo quidem multa in S. Religione, sed non mihi soli, cùm D. Legislator Augustinus in Regula dicat: *Nec dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia, & distribuatur unicuiquè, sicut cuiquè opus fuerit.* Sanctè dicit; sed hoc nihil officit. Utiquè nec in sæculo solus usus fuisses tuâ substantiâ? ex ea enim comedissent filij, domestici, & amici. Cur tibi tantum vis in Monasterio, quô solus non utereris in sæculo? Instas: ejusmodi amplector Institutum, quô nihil in particulari possi-

dere permittitur, quomodo ergo mihi de non nullis necessarijs, quæ de communi non dabuntur providebo? Modicæ fidei quare dubitas? de communi necessaria providebuntur, superflua retinere vetabitur. Respondet item D. Legislator Augustinus libr. de eléèmosyna te increpando, & increpat respondendo: *An putas, terrena deerunt, quibus cælestia, & divina tribuuntur? unde hæc incredula cogitatio: quid facit in domo DEI incredulum pectus?* Credo equidem omnia optata tibi non suppeditanda iri, sed nec ulli ex sæcularibus ad nutum suppeditantur: neque enim hoc expediet. Sufficient tibi necessaria, quæ nunquam tibi deerunt, si tu non deeris DEO. Dico itaque cum Dalmata purpurato D. Hieronymo in cap. 6. Matth. *In promissis veritatis nemo dubitet. Sit homo, qui esse debet, & mox addentur ei omnia, propter quem facta sunt omnia.* Vera certè, & docta ratio. Etenim cùm omnia, quæ in mundo conspiciuntur hominis gratiâ, Psalmista Psal. 8. 8. attestante, facta sint, nuspiam illa se ab hominis obsequio subtraherent, nisi ipse se ab obsequio subtraheret divino. Eapropter si ille ad eam, quam DEO debet, redierit servitutem, jure quodam suo, reliqua tamquam sua, & sibi debita recuperabit; potissimùm, quæ illi erunt necessaria. Non enimverò deseret te, pro quo omnia deseris; si ei ut decet servies, tibi, ut expediet, providebit.

6. Vo-

6. Volens olim D. Hieronymus Rustico Monacho, quomodo faciliùs illibatam conservare valeat castitatem, spirituale dare consilium, ita ad illum scribit in sua epistola: *Ama scientiam scripturarum, & carnis vita non amabis Fac semper aliquid operis, ut te occupatum diabolus inveniat.* &c. Et sanè: siquidem vel ipse Póëta Ovidius fatetur otium capitalem fore inimicum castitatis; dicit enim.

Queritur Ægyptus, quare sit factus adulter?
In promptu causa est: desidiosus erat.

Et mox subinfert:

Otia si tollas, periêre cupidinis arcus,
Contemptæquè jacent, & sinè luce faces.

Maximè verò enitendum est contra cogitationes malas, quæ sunt ruinæ spiritualis scaturigines certissimæ. Proin occupanda est mens meditationibus sanctis, ac religiosis. Enimverò: quemadmodum mens, seu cor nostrum, est omnium malorum fons, & origo, si pravis cogitationibus tradatur, (Matth. 15. 19.) sic contra, omnium bonorum spiritualium fæcunda est scaturigo, si ab his præservatur. Quare Sapiens Prov. 4. 23. *Ex corde*, inquit, *vita procedit*. Affirmat, inquam, Sapiens luculenter de corde procedere vitam, si perpetuò occupetur in cogitando, *quæcunquè sunt vera, quæcunquè pudica, quæcunquè justa, quæcunquè sancta, quæcunquè amabilia, quæcunquè bonæ famæ, si quà virtus, si quà laus disciplinæ.* Philip. 4. 8.

7. Et quoniam caro jugiter ſpiritui repugnat (Galat. 5. 17.) & ſæpe partâ victoriâ eum ſibi ſervire cogit (hoc ut non ſemper aſſequitur; ita ut hoſtis infenſiſſimus ſemper, & ubiquè eum inſequitur) maceranda eſt jejunijs, vigilijs, laboribus, & quibusvis alijs auſteritatibus in ſpiritûs ſervitutem eſt redigenda. Aliunde facilè nos à ſpe beatitudinis æternæ projiceret retro. Nequè enim poſſibile eſt, ut præſentibus quis, & futuris fruatur bonis; ut hic ventrem, & ibi mentem impleat; ut de delicijs tranſeat ad delicias; ut in utroquè ſæculo primus ſit, ùt & in cælo, & in terra appareat glorioſus. Exemplô ſunt dives ille Evangelicus, qui induebatur purpurâ, & byſsô, & epulabatur quotidie ſplendidè; & Lazarus mendicus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa divitis, & nemo illi dabat; quorum ille in inferno ſepultus eſt, hic verò ab Angelis in ſinu Abrahæ collocatus. Luc. 16. 19. & ſeq. Ideo ſibi timens Paulus, ut plurimi alij ſanctorũ & ſanctarũ tũ juvenculorũ, & juvencularum, tum provectioris ætatis, & decrepitæ ſenectutis, caſtigabat corpus ſuum, & in ſervitutem redigebat, nè fortè alijs prædicans ipſe reprobus efficeretur. 1. Cor. 9. 27. Quare rectè S. Hieronymus ad Euſtoch. *Si Paulus* (inquit) *vas electionis, & præparatus in Evangelium*

lium Christi ob carnis aculeos, & incentiva vitiorum, reprimit corpus suum, & in servitutem subjicit, nè alijs prædicans reprobus inveniatur, & tamen vidit aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ, & captivantem in lege peccati (Rom. 7. 23.) *si post nuditatem, jejunia, famem, carceres, & flagella in semetipso reversus clamat:* Infelix homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus *tu te putas securam esse quotidie delicijs affluens?*

8. Procertò *qui delicatè nutrit servum suum* (Prov. 29. 21.) *postea sentiet illum contumacem.* Atquè hinc provenit, Religiosos quosdam esse adeò incontinentes, quòd videlicet seipsos nimis luxuriosè quotidie cibô, & potu pascant; rarò, aut nuuquàm libidinis incentiva, id est, carni blanda, suavia, mollia, dulcia subtrahant; quinimò illa totis sectantur viribus, pretiosô se replentes vinô, delicijsquè imbuentes. Pinguis venter facilè despumat in libidinem: luxuriosa, teste Gentiũ Doctore Ephes. 5.18. res est vinũ. Nonne posteaquam cæpisset Nóè vir agricola exercere terram, plantâssetquè vineam, ac bibisset vinum, inebriatus est, & nudus jacuit in tabernaculo suo? Gen. 9. 20. 21. Utiquè charus ille quondam supremæ Majestati populus Jsráëlitarum surgens manè obtulit holocausta, & hostias pacificas; ast posteaquam sedisset manducare, & bibere; ludere surrexit. Exod. 32. 6. Quaproper Dominus ad Moysen: *Vade* (inquit) *descen-*

descende: peccavit populus tuus, quem eduxisti de terra Ægypti. ibid. ℣. 7.

9. Et quemadmodum fuga otij; mortificatio carnis plurimùm conducunt castitati conservandæ: ita, ut hæc jacturam non patiatur, super omnia necessaria est oratio. Audiatur hac in parte Domini Sapiens, qui cap. 8. ℣. 21. ita fatur: *Ut scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi DEUS det, & hoc ipsum erat sapientiæ, scire cujus esset hoc donum: adij Dominũ, & deprecatus sum illũ.* Hinc D. Legislator Aug. lib. 6. Confess. cap. 33. *Putabam* (inquit) *me miserum fore nimis, si fœminæ privarer amplexibus, & medicinam misericordiæ tuæ ad eandem sanandam infirmitatem non cogitabam, quia expertus non eram, & propriarum virium, credebam esse continentiam, quarum non eram mihi conscius, cùm tam stultus essem, ut nescirem, sicut scriptum est, neminem esse posse continentem, nisi dederis. Utiquè dares, si gemitu interno pulsarem aures tuas, & fide solida jactarem in te curam meam.*

10. Atquè hæc quæ hactenus sunt allata, non sunt autumanda fore consilij, ast tenenda cadere sub præceptum, & teneri ijs omnes Monasticæ vitæ Professores. Enimverò, qui vovet castitatem se servaturum, vovet simul media necessaria ad eam intertenendam se non respuiturum; quemadmodum qui vovet militiam pro fide, utiquè tenetur obligatione voti sui omnia

pericula, & labores militum subire, & ab ijs, quæ milites dedecent, ultroneè abstinere.

11. Hanc habet Obedientia inditam sibi virtutem; quòd sit efficacior ad consequendum aliquem effectum, quàm sacrificia veteris testamenti juxta illud: *melior est obedientia, quàm victima.* 1. Reg. 15. 22. Melior, inquam, quia est pinguissimum holocaustum, cùm per illam totus homo in sacrificium cedat. Est, inquam, obedientia sacrificium laudis, & gratiarum actionis secundùm illud S. Augustini in Psal. 148. *Vis semper laudare DEUM? bene fac omnia* (quod fit per perfectam obedientiam) *& laudasti DEUM.* Est, dico, obedientia sacrificium pacificum; nam miram habet virtutem ad varia dona à DEO impetranda. Est, repeto obedientia sacrificium propitiatorium, seu, pro peccatis; quia est efficacissimum medium ad peccatorum remissionem impetrandam. Est denique obedientia sacrificium Eucharisticum; quia revocat in memoriam cruentum sacrificium, quô Christus se ipsum Patri æterno obtulit, dum obediens usquè ad mortem crucis factus est: Phipp. 2. 8. ut adeò ipse per coronatum Prophetam dixerit: *Sacrificium, & oblationem noluisti: aures autem perfecisti mihi. Holocaustum, & pro peccato non postulasti: tunc dixi: ecce venio. In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: DEUS meus volui, & legem tuam in medio cordis mei.* Psal. 39. 7. & sequ.

12. Re-

12. Refert Joannes Rusbrochius libr. de virt. c. 13. DEUM ipsum quondam voce de cælo lapsa testatum fuisse, Monialem plùs meriti consecutam, quæ omissa communione propter obedientiam in culina ministraverat, quàm quæ communicavit. Sequitur: Ubi obedientia est, ibi totum DEO valdê acceptum est. Quod optimè sciens B. ille Rogerius Monachus, etiam debitum naturæ aliter noluit solvere, quam ex obedientiæ virtute: Moti enim jamjam vicinus ita Arsenium alloquitur Abbatem: *Quæso te Pater ex obedientia me mori jube, ut etiam moriendo merear; siquidem sexaginta jam anni sunt, quibûs hanc gratiam petij à DEO, nè Patris mei injussu morerer. Ergo*, ait Arsenius, *morere mi frater.* Quô dictô mox placidissimè expiravit, & eadem nocte se Arsenio spectandum præbuit, dixitquè mortem sic obitam pluris à Cristo æstimatam esse, quàm ullam totius vitæ actionem. Hunc quia secutus est quidam Clericus nomine Josephus à S. Augustino Ordinis Eremitarum S. Augustini in obedientia, meruit etiam cum illo in obedientia mori: Cùm enim mortis suæ diem præscivit, à V. P. Marco Priore suo moriendi veniam, & benedictionem humiliter petijt, quâ acceptâ animam illicò in manus Creatoris sui consignavit. Hinc pluries à morte gloriosus apparuit, & inter psalentium choros auditus est.

13. Pla-

13. Placet vobis Dilectiſſimi in Chriſto Fratres Profeſſandi talis mors. taleque poſt illam gaudium! non pigeat ergo vos ſimiles in obedientia ſequi, ſi cupitis cum illis in gloria beari. Inhiate omnibus mundi theſauris, ſed inhiate illis ita non, ut poſſideatis, ſed, ut propter DEUM relinquere valeatis Memineritis jugiter Drexelium damna, & remedia vitæ incontinentis his verſibus comprehendere, quos vos diſcite legere, ac benè fugere:

Corpus, opes, animam, ingenium, famam virtutem
Debilitat, perdit, necat impedit, inficit, aufert.
Otia, menſa, libri, vagalumina, verba, ſodales,
Hæc tolle, hanc minue, hos muta, hæc claude, hæc fuge, vita hos.

Atquè his, quæ præſenti diſcurſu attuli in effectum deductis, dubiô procul Votorum Religioſorum, Paupertatis videlicet, Caſtitatis, & Obedientiæ libata ſvavitate, Domini jugum vobis leve fuiſſe agnoſcetis, quando Chriſto Domino Duci, & Magiſtro veſtro corregnabitis æviternè.

EXHOR-

EXHORTATIO XXVI.
ad plures.

Tollite jugum meum ſuper vos, - - & invenietis requiem animabus veſtris. Matth. 11. 29.

1. REm inſolitam video! Citharam Hymnopæi Davidis in luctum verſam animadverto. Intueor Regem, frontem alias charitum ſedem, mæſtam præſentare; intueor labia palleſcere, concidere genas, oculos conſiderabundis obtutibus humi defigi, Princeps inter rivulos aquarum, quos deducunt oculi *tota die ingreditur contriſtatus* (Pſal. 37. 7.) ſpectro ſimilior, quàm ſibi. Eja! adeſte, feſtinate, properate Aulici! inſtruite menſarum lautitias quibus Dominum veſtrum teneri optimè noſtis! ferte vinum, quô exhilaretis cor mærore jam jam confectum! vocate choraulas: agant, animent tubas, fiſtulas ſambucas, omniaquè genera muſicorum, quibûs tetrica, animus, nube obductus, ſerenetur! vocate comædns; agant, erigant theatra; repræſentent Herculis, Thyeſtis Oedipi Agamemnonis Uliſſis hiſtorias, quibûs Rex diſtractu priſtinæ hilaritati detur! vocate venatores; agant, explicent retia inflent cornua excutiant ferarum cubilia,

bilia, ſtringant inſidijs ſylvas, melancholiâ non patiantur conſummi Hærum! aſt, aſt actum eſt! verſa eſt cithara in luctum! Enimverò triſtiſſimus Princeps leporum locô menſæ, cinerem tamquam panem manducat, (Pſal. 101. 10.) generoſi loco vini, ſuper âquam refectionis educatur; (Pſal. 22. 2.) actûtum autumat reſonare ſymphoniæ harmoniam, dum non avertit aurem ſûam à ſingultû ſuo. Thren. 3. 58. Optimè inſtructam putat eſſe comœdiam, dùm in animo plusquàm tragædiam ſentit carnificinam. Pſal. 37. 48. Venatores ampliùs nihil curat, dùm infixum ſe in limo profundi fatetur. Pſal. 68. 3. *Renuit*, ah! *renuit conſolari anima mea*, (Pſal. 76. 4. quia *peccavi Domino*. 2. Reg. 12. 13. Non eſt, qui conſoletur me ex omnibus charis meis (Thren. 12.) quia *peccatum meum contra me eſt ſemper*. Pſal. 50. 5. Hoc, hoc peccatum meum facit recedere ſomnum ab oculis meis (1. Mach. 6. 10.) hoc cruciat, lancinat, angitquè animam meam (3. Reg. 11. 39.) in tantum, quòd non ſolùm murus, ſed & podium; & non ſolùm podium, ſed & ſella; & non ſolùm ſella, ſed & abacus; & non ſolùm abacûs, ſed & ſcabellum, & non ſolùm ſcabellum, ſed & lectus; & non ſolùm lectus, ſed & menſa; & non ſolùm menſa, ſed & vaſa aurea, & argentea ſtilô quaſi ferreô indicant mihi ſcripta: *Uriam Hethæum percuſſiſti gladiô, & uxorem illius accepiſti in uxorem tibi, &*

 inter-

interfecisti eum gladiô filiorum Ammon. 2. Reg. 12. 9. Quale igitur remedium? quale antidotum? quale emplastrum conscientiæ sauciatæ applicandum? Serenissime Rex à corde tibi compatior afflicto! & nequè existimo aliud consilium fore, quàm, ut ejuratô peccatô reconcilieris O. DEO. Sic enimverò æterna Veritas per suum Evangelistam dicit: l. c. *Tollite jugum meum super vos*, excutite jugum diaboli de cervicibus vestris. *& invenietis requiem animabus vestris.*

2. Dilectissimi in Christo Fratres Professandi! terribilis est malæ conscientiæ laniena, cui nè vitâ vestrâ subjaceatis, ast tranquilla requie animæ vestræ fruamini; optimum erit remedium à Votis Religiosis, Paupertate videlicet, Castitate, & Obedientia nec ad minimum jota deviare. Ad quod præstandum vel illa vos animabunt, quæ subsequi discursûs adducam tractu. Favete.

3. Quòd Religiosæ Paupertatis cultoribus à Christo Domino, qui propter nos miseros homunciones egenus factus est (2. Cor. 8. 9.) promittatur in extremo judicio potestas judiciaria? nulli hucusquè in dubium venit. Ita enimverò Principi Apostolorum Petro dicenti: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* æterna Veritas respondet: *Amen dico vobis, quòd vos, qui secuti estis me in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede majestatis suæ, sede-*

sedebitis & vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israël. Matth. 19. 27. 28. Hanc autem judicandi potestatem tribuendam esse à Christo Domino paupertatis professoribus prævideràt Job cap. 36. 6. *Judicium pauperibus tribuit.* Hinc securè nunc dicat S. Gregorius l. 10. moral. cap. ultimo quod habet: *Quisquis stimulò divini amoris excitatus, hìc possessa reliquerit, illic procul dubio culmen judiciariæ potestatis obtinebit, ut simul tunc judex cum judice veniat, qui nunc consideratione judicij sese spontanea paupertate castigat.*

4. Conquerebatur nonnunquam Abbas Claravalensis D. Bernardus serm. super hæc verba: *Ecce nos reliquimus omnia* &c. quòd nonnulli parvi facerent hanc promissionem: *Quid, inquiens, istud miseriæ est, quòd ad verbum tantæ promissionis negligentia humana dormitat?* O pauperes Christi! judicent vos nunc filij hujus sæculi, atquè præjudicent; sedeant, & adversùs vos loquantur: sunt ipsi futuri tamquàm rei, & vos judices: sunt judicandi, & vos judicaturi: stabunt illi & vos sedebitis, trepidabunt, & vos eritis securi; hinc non est revera, quod ad Magistri vestri cælestis appromissum dormitetis. Audite iterum Bernardum, qui serm. 8. in Psal. 90. ita fatur: *Felix paupertas, quæ tam securos, imò tam gloriosos faciat in illo singulari fragore elementorum, in illo examine meritorum.* Profectò obtenebratis cæli luminaribûs, cadentibûs stel-

lis, trepidantibus cæteris hominibus, ac toto orbe terrarum commoto ſtabitis audaces auditâ hac voce: *Reſpicite, & levate capita: quoniam appropinquat redemptio veſtra.* Luc. 21. 28.

5. Sed dicet fortè aliquis hanc ſedendi, & judicandi poteſtatem Apoſtolis promiſſam eſſe, & non Religioſis: Reſpondeo etiam Religioſis promiſſam eſſe, qui Evangelicam profitentur paupertatem, quæ omnino Apoſtolica eſt. Videamus quid dicat S. Bernardus ſerm. de ingrat. etenim ita ibidem inquit: *Apoſtolicam nos omnes vitam profeſſi ſumus; Apoſtolicæ profeſſioni nomina dedimus univerſi.* Qui ergo exemplo Apoſtolorum omnia propter Chriſtum reliquerunt, cum Chriſto, & Apoſtolis alios judicaturi ſedebunt. Atquè hujus veritatis teſtem appello V. Bedam, qui in nat. S. Bened. ita habet: *Omnes, qui ad exemplum Apoſtolorum ſua omnia reliquerunt, & ſecuti ſunt Chriſtum, judices cum illo venturi ſunt, ſicut etiam omne mortalium genus eſt judicandum. Quia autem duodenariô ſæpe numerô ſolet in ſcripturis univerſitas deſignari, per duodecim ſedes Apoſtolorum omnium univerſitas judicantium, & per duodecim tribus Iſráël univerſitas judicandorum oſtenditur.* Atqueadeò qui modò quaſi egentes ſtant, tunc judicantes ſedebunt, & ſicut ſeſſuri, & judicaturi ſunt cum Chriſto, ita etiam his, qui ſibi aliquando improperabant dicturi ſunt cum

Chri-

Christo: *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo, & angelis ejus: esurivi enim, & non dedistis mihi manducare; sitivi, & non dedistis mihi potum.* Matth. 25. 41. 42. Hoc paupertatis Evangelicæ sectatoribus neutiquam exprobrabitur, cùm his quidpiam in particulari possidere Professio Sacra interdicat. Enimverò (inquit Bernardus serm. 3. in Psal. 29.) *Quomodo à nobis exigat DEUS, quod pro ipsius amore relictum est.* Concludo itaquè hanc pauperum spiritu remunerationem cum eodem Patre: serm. 3. in Psal. 90. *Numquid non pretiosiorem ducitis paupertatem vestram thesauris sæculi, siquidem ipsa est, quæ liberat vos à verbo aspero? Ecce verbum asperum:* Tollatur impius, nè videat gloriam DEI. *Et:* Ite maledicti in ignem æternum &c. esurivi enim, & non dedistis mihi manducare. &c. Felix proin terquè, quaterquè beata nostra paupertas, quæ & sessionem cum Christo, & liberationem meretur ab aspero verbo: *Ite maledicti in ignem æternum.*

6. Ast fortasse iterum quispiam dicet, Religiosos vi suæ Professionis non solùm pauperem, sed & cælibem teneri ducere vitam, *quid ergo erit illis?* Matth. 19. 27. Respondeo: mercedem accipient tum in hoc sæculo, tum in futuro. Nam primò, qui cælibes vivunt, liberi sunt. Si uxorem duxissent fortè more Achajæ vixissent. Id est, non illi uxori, sed illis uxor imperâsset.

sset. Enimverò! solebant olim in Achaja uxores regimen domûs gerere, ac negotiari: viri autem fæmineo indulti amictu lectos sternebant, domum verrebant, mensam parabant, aliaquè fæminarum propria munia subibant; ex quo more proverbium natum, ut cùm quis nimiùm se uxoris imperio subjiceret diceretur, *vitam Achajæ agere*. Quâ loquendi formulâ usus est Plinius epist. ad Sabatium quemdam amicum suum objurgans, quòd uxori nimiùm subderetur. Nuspiam ergo Religiosis hoc proverbium competere poterit; ast pleriquè sunt in sæculo, qui more Achajæ vivere coguntur.

7. Egregiè Præsul Constantinopolitanus S. Joannes Chrysostomus virum, & uxorem assimilat cuipiam servorum pari fugitivorum, qui sunt ad invicem catenâ colligati, ut etiam si hero se eripiant, tamen alius alium sequi necesse habet: neque alter ab altero separari possit. Quod insinuare videtur, imò re ipsa insinuat Doctor ille Gentium Paulus 1. Cor. 7. 27. dicens: *Alligatus es uxori, noli quærere solutionem*. Hinc memoratus Chrysostomus de virg. ita fatur: *Videsne rei necessitatem, & inexorabilem servitutem? vides utrumquè funiculis constrictum? est enim connubij necessitudo instar vinculorum*. Eapropter S. Basilius Cons. mon. cap. 1. conjugium vocat compedes, à quibus quis fit liber professione castitatis. Ita enim ibidem inquit: *Quicunquè à*

mundi-

mundi vinculis liber esse cupit, conjugii veluti compedes quasdam profugere debet, & DEO vitam suam conservare, & castitatem profiteri.

8. Nullus proin doleat tanta vincula evasisse, & uxoris mancipium fugisse. *Quanta felicitas* (inquit S. Hieronymus l. 1. contra Jovinianum) *non uxoris servum esse; sed Christi: non carni servire, sed spiritui.* Gaudete Religiosæ castitatis professores, quòd cælibatum sitis amplexi, qui dabit otium non quomodo mundo, sed quomodo DEO placeatis. Etenim *qui cum uxore est sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, & divisus est.* 1. Cor 7. 33. O sollicitudinem inutilem, cogitare quomodo placeat uxori! quæ interdum adeo erit morosa, ut vix possit ei vir placere; nec unquam placebit, si aliquando, aut semper ipsi non pareat: atquè ita cum dedecore placebit. Nam secundùm Democriti sensum: mulieri placere, extremum dedecus est viro. Satiùs vobis sit cogitare quomodo placeatis DEO, non mulieri, quam enim mercedem habebit, qui mulieri placere contendit? & quam mercedem non obtinet, qui DEO placere studet? Quid nobis cum mulieribus, quibus nemo placuit sinè muneribus? aut quibus placere summū dedecus est, displicere labor est?

9. Meminerimus, quæso, hic quod quidam scriptis, de nuptijs mandavêre: *Astrictus nuptijs non ampliùs liber est.* Item Hippoth. Theodec.

olec. *Similes sunt senectus, & nuptiæ; utrumquè enim consequi desideramus: postquam verò nacti sumus, tristamur.* Omnes quidem optant senescere, sed sed ob infirmitates, quibus senectus subjicitur, dolent ad talem ætatem pervenisse: Sic omnes ferè nubere vellent, sed postquam onera, laboresquè matrimonij sunt experti optarent nunquam nupsisse: ac tantò major illorum dolor est, quantò minor est matrimonij solutio. *Felices* igitur *illi sunt, qui* (ut ajt Greg. hom. 16. in Ezech.) *nulla conjugis, nullâ filiorum curâ, nullis noxijs, & dificilibus rei familiaris cogitationibus implicantur.* Hinc optimè Marcella major rogata à matre sua, gauderetne se nupsisse, respondit: ita valde, ut ampliùs nolim.

10. Inter pleraque, quæ Religiosis Obedientiam professam dulcorare debent, est etiam illud non postremum, quòd videlicet illi soli sint liberi, qui obediunt. Videtur hoc quidem esse paradoxum; attamen agnoscitur ab Ethnico. Sic eninverò loquitur Plutarchus, moralium scientissimus libr. de auditione: *Qui parent, soli sunt liberi: soli enim illi vivunt, ut volunt, qui, quid velle debeant, didicerunt.* Seneca quoquè de beata vita differens ita scribit: *DEO parere libertas est.* Quod à Simone Cassiano probatur, cùm libr. 4. cap. 1 ita fatur: *Novi multiplicari hominum voluntates, & sæpe cognovi ad volita infallibilem impossibilitatem. Solus obediens perfecit, quæ volu-*

voluit. Nihil enim aliud volebat, nisi obedire, quod nemini denegatur. Cùm itaquè nullus sit, qui quod vult, perficiat, nisì verus obediens, sequitur, quòd nullus sit verè liber, nisì qui verê obedit, quia ita sibi imperavit, ut alteri velit obtemperare. Quærat modò & respondeat Horatius libr. 2. sat. 7.

Quisnam igitur liber? sapiens, sibiquè imperiosus,
Quem nequè pauperies, nequè mors, nequè vincula terrent.

11. Rarum & illustre obedientiæ exemplum refert Joannes Climacus gr. 4. commemorans quid in quodam Monasterio acciderit ipso præsente, sic enim scribit: Cum in mensa ego, & Superior in quodam cænobio consedissemus, advocat is quemdam nomine Laurentium, qui ferè quadraginta, & octo annos in Monasterio degerat: Cùm advenisset, nihil illi penitùs dixit, sed sic ante mensam sinè cibo per duas horas, cùm tamen initium prandij esset stare permisit, adeò, ut ego ipse erubescerem quoquè, nec intueri eum auderem: erat enim canus totus jam octogenarius. Non omisi ego postea à sene percunctari, quid astans cogitâsset? Christi, inquit, imaginem Superiori imposui: nequè enim hoc præceptum ab illo exiisse, sed à DEO penitùs existimavi. Quare, ô Pater Joannes, non coram mensa hominum, sed coram altari

divino astare me putans orabam, nullamquè penitùs malignam cogitationem contra Superiorem admittebam. An non fuit Senecio hic perfectè liber, cùm sibi ita inperaret, ut suam voluntatem, voluerit esse Superioris? Nequè etiam de suo Prælato conquerebatur, quia libertatem ex obedientia nactus Christum in illo intuebatur: Hinc non sunt pensanda, quæ Superiores Jubent, sed is cujus locum tenent. Quare Bernardus de præcep. & disput. inquit: *DEUS Prælatos sibi quodammodo æquare dignatus, sibimet imputat illorum & reverentiam, & contemptum specialiter contestans eis*: Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. Luc. 10. *Quamobrem quidquid voce DEI præcipit homo, quod non sit tamen certum displicere DEO, haud secùs omnino accipiendum est, quàm si præcipiat DEUS.*

12. Utverò quilibet subditus suo Superiori tantò alacrius obediat, consequenter, ut obedientiæ libertatis particeps fiat, ita iterum idem nominatus Bernardus hom. 1. super *Missus est* cohortatur dicens: *Disce homo obedire; disce terra subdi, disce pulvis obtemperare.* De authore tuo loquens *Evangelista*, & erat, *inquit*, subditus illis Luc. 2. *haud dubium, quin Mariæ, & Joseph. Erubesce cinis: DEUS se humiliat, & tu te exaltas DEUS se hominibus subdit, & tu dominari gestiens hominibus, tuo te præponis Authori?* Et paulò infra: *Si non*

pote-

poteris forsitan sequi Authorem tuum quocunquè ierit, dignare sequi quò tibi condescendit. Voluit autem tibi condescendere usquè ad obedientiam, Factus obediens usque ad mortem. Philipp. 2. *propter te. Quare illum non sequeris Superioribus obediendo propter illum?*

13. Memineritis ergo jam Dilectissimi in Christo Fratres Professandi non attendere præcipientem, sed præficientem. Homo erit, qui vobis præcipiet, sed DEUS *est*, qui vobis hominem præficiet. Si DEUS vobis immediatè loqueretur, ab ipso audiretis? ergo hoc à Superiore audiatis, quod vobis loquetur tamquam DEUS vobis loqueretur; quia quilibet Suprior DEI personam repræsentat. *Qui vos audit, me audit.* Luc. 10. 16. Nequè velitis uspiam considerare cui obedietis, sed propter quem obedietis. Verbô: in Prælato semper DEUM audite, DEUM considerate. Utiquè D. Benedictus in Reg. cap. 68. dicere solebat: *DEO impendi obedientiam, quæ majoribus exhibetur.* Reflectite vos etiam ad libr. 4. instit. cap. 10. ubi Cassianus laudat Tabenensiotas Monachos in Thebaide, quod universa complebant quæcunq; à Superiore præcipiebantur tamquam si à DEO cælitùs edita fuissent. Reminiscamini, quia Paupertatem S. Franciscus in tantùm æstimaverit, quòd illam *Altissimam* appellârit: quia in altissimum cælum attollit hominem. Hinc: *Calca mundum* (inquit D. Le-

D. Legislator Augustinus serm. 55. de temp.) *ut eô calcatô gradum tibi facias, perquem in sublime conscendas.* Hanc & vos æstimate super aurum & topazion, super omnes deniqè res fluxas, quibûs mundus fictitiè gloriatur. Et quoniam nemo nolens peccet; hinc dum, & quando hostis domesticus acrior insurget; ad jejunia, ad flagra, ad cilicia vos date. Quod si feceritis; si Votis Religiosis, Paupertate, Castitate, & Obedientia ita vos gesseritis nunquam malæ conscientiæ subjacebitis torturæ, ast tali fruemini semper requie animarum vestrarum, quæ vos capaces efficiet pacis æviternæ.

EXHORTATIO XXVII. ad unum.

Qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum. Joann. 15. 5.

1. ILlam habent, secundùm omnes Naturalistas, consvetudinem palmites, qui à vitibus resecantur, quod lachrymas fundant, quasi suam sortem deplorarent, quâ per unius cultri scissionem, jam vident succisam suam omnem felicitatem. Nos miseri (dicerent, si loqui possent) olim viridantibus folijs, pampinis, & uvis superbè floruimus; modò nihil nobis restat, quàm,

quàm, ut arescamus, pereamus, conculcemur, crememur. Nolite flere tristes racemi! fortassis favebit sors felici eventu, quòd aliarum arborum, vite præstantiorum, frondibus valebitis implantari! Utiquè magnifica est arbor cedrus? succosa pomus? fructifera pyrus? mellea persicus? Patiemini his arboribus inseri, earum naturâ investiri, earum succô sustentari? Non patiemur, respondent; quia nullibi reperiemus nostram, quâ contentemur, nisi in vite satietatem.

2. Dilectissime in Christo Frater Profesfande quid supponis, quorsum parabolâ præsenti tendam? Pando, quod sentio: Christus est vitis, nos palmites: quemadmodum ergo palmes infelicissima est, nisì in vite permanserit; ita & nos, nisì per gratiam Christo, tamquam bonorum omnium radici cohæreamus, nullam desideriorum satietatem, nullam animi tranquillitatem, nullam conscientiæ pacem, nullam sinceram cordis lætitiam reperiemus. Per gratiam, inquã semper Christo adhærere necessum habemus, & sic feremus fructum multum: quod, ut & tu facias; memineris Votis Religiosis, Paupertate scilicet, Castitate, & Obedientia ne in minimo quidem contrariari Christo, sed his, quamdiu vivere licebit, manere in Christo. Quod, ut præstes accuratiùs, vel illa incentivô erunt, quæ subsequo pandam discursu. Fave-

3. Pau-

3. Paupertatem Evangelicam seu Religiosam, qui profitentur, omnino scire necesse, quòd nullius rei habeant dominium in particulari. Hinc D. Benedictus, & qui Regulas pro Monasticis condidêre, eos, qui dant, accipiunt, vel retinent aliquid sinè Superioris permissu proprietaris vitio, docent, tenent, & affirmant, subjacere. Eapropter singuli cupiditate ducti petentes, accipientesvè à parentibus, cognatis, amicis, & alijs pecunias, aut aliud quidpiam pretiô æstimabile notabili, proprietarijs stipulatam dedêre. Pari modo, qui dant, distrahunt, quæ sibi Monasterium concessit, si sub valorem cujuspiam pretij cadunt quiquè accepta ab illis fide simplici Superiores suos proprietatis affectu celant, & absquè eorum consensu saltem interpretativo, vel præsumpto retinent, eadem labe inficiuntur. Et talium quidem pænam Sancta Synodus cap. 2. Sess. 25. tenore, ut sequitur, describit: *Si quis quidquam aliter tenere deprehensus, aut convictus fuerit, is biennió activa, & passiva voce privatus sit, atquè etiam juxta suæ regulæ, atquè ordinis constitutiones puniatur.*

4. Deinde velle divitem fieri, vel abundare, & cupere quidpiam præter consensum distrahere, aut accipere Religiosæ paupertatis professori summè damnabile est, quomodo damnabile secundum Apostolum 1. Tim. 5. velle nubere prouti advertit Lacteus Doctor D. Bernar-

nardus serm. 4. de adventu Dom. itemq; qui cum tædio, ac involuntariè jugum ferunt paupertatis; qui pauperes esse avent, hac tamen servata conditione, ut nullum defectum patiantur, id est, sic amicam habent paupertatem, quòd dum, quidpiam illis desit, eam ad singulare provocent certamen; qui eò remis, velisquè molestiæ appulêre, quòd extorquere ultro, citroquè rerum expetitarum copiam nitantur, quales sunt murmuratores, querulosi non supersedentes quoadusquè appetitûs vehementiâ non sopiatur per fas, nefasvè, æquitate reclamante, desideratorum obtentu; qui ea, quæ absquè usu non valent esse quotidiano, prouti amictus, cubicula, libri, & alia id genus necessaria animô possident proprietate, mala parente sobole parta pessima, nutritô, eisquè afficiuntur in tantum ac si propria, & non communitatis forent. Sed eheu o boni cænobitæ! utinam vos reflectatis ad illum perstrictivum canonem D. Legislatoris, quem ille in Regula habet, ubi dicit: *Ad vos non pertineat, quod vobis indumentum pro temporum congruentia proferatur, utrum hoc recipiat unusquisquè, quod deposuerat, an aliud quod alter habuerat, dum tamen unicuiquè prout cuiquè opus est, non negetur. Si autem hinc inter vos murmura, & contentiones oriuntur, cùm conqueritur quis se deterius accepisse quàm priùs habuerat, & indi-*

gnum

gnum se esse, quòd non ita vestiatur, sicut alius frater vestiebatur, hinc vos probate, quantùm vobis desit in illo interiori sancto habitu cordis, qui pro habitu corporis litigatis.

5. Hujus furfuris, & hujus farinæ sunt quoquè & illi, qui, quidquid illis usui necessarium, & genio perplacens in bonis communibus videtur, illicò absque omni conscientiæ remorsu carpunt, suppositô malô laborantes, putando bona communitatis sua esse, quòd sint ejus membra. Imò, quia membra sunt, usurpare non debent, quod commune est. Hinc D. Benedictus Reg. cap. 57. seriò suos alumnos cohortatur dicens. *Videant per quorum opera artificum transigenda sunt manus nè fraudem aliquam præsumant inferre, memorenturquè Ananiæ, & Sapiræ, nè fortè mortem, quam illi in corpore pertulerunt, hanc isti omnes, qui aliquam fraudem de rebus monasterij fecerint, in anima patiantur.*

6. Et quid dicam de illis, qui affectu proprietatis sæpenumero sermonem texunt de nundinationibus, pretijs rerum, & nummis? De talibus loquatur pro me S. Hieronymus illud, quod habet ad Paulinum de instit. monast. inquiens: *Quem senseris tibi semper, aut crebrò de nummis loquentem exceptâ eleèmosynâ, quæ omnibus patet institorem potiùs habeto, quàm monachum.* Enimverò *quæ procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem* Evangelista Domini Matth. 15. 18. teste.

7. Quantô ſint affecti beneficiô, quantovè afficiantur, qui votum caſtitatis emiſerunt, ex incommodis, animiquè perturbationibus, quæ viris ex conjugio obvenire ſolent, liquidò patet. Etenim (ut innuit Theophraſtus apud D. Hieronymum libr. 1. contra Jovinianum) impediuntur nuptijs ſtudia Philoſophiæ, nam nemo poteſt libris, & uxori inſervire: Deinde multa ſunt uſibus matronarum neceſſaria; uti pretioſæ veſtes, aurum, gemmæ, ſumptus, ancillæ, ſupellex varia, lecticæ, & eſſeda deaurata: Tandem per noctes totas garrulæ conquæſtiones. Oggerunt namquè illæ: hæc ornatior incedit, iſta honoratior omnibus, ego in conventu fæminarum miſella deſpicior. Cur aſpiciebas vicinam? Quid cum ancillula loquebaris? de foro veniens quid attuliſti? non amicum habere poſſumus, non ſodalem. Iſta alterius amorem honeſtum, ſuum odium ſuſpicatur. Si doctiſſimus præceptor in qualibet urbium fuerit, nec uxorem relinquere, nec cum ſarcina ire poſſumus. Pauperem alere difficilè eſt, divitem ferre tormentum. Adde, quoniam nulla eſt uxoris electio, ſed qualiscunquè obvenerit habenda. Si iracunda, ſi fatua, ſi deformis, ſi ſuperba, ſi fætida: quódcunquè vitij eſt poſt nuptias diſcimus. Attendenda eſt ſemper ejus facies, & pulchritudo laudanda, nè ſi alteram aſpexeris, ſe exiſtimet diſplicere. Si totam domum ei commiſeris,

ſerviendum eſt. Si aliquid tuo arbitrio ſervaveris fidem ſibi haberi non putabit: ſed in odium vertetur & jurgia. Verùm quid prodeſt etiam diligens cuſtodia, cùm uxor ſervari impudica non poſſit, pudica non debeat? Pulchra citò adamatur, fœda facilè concupiſcit: dificilè cuſtoditur, quod plures amant. Moleſtùm eſt poſſidere, quod nemo habere dignetur. Minore tamen miseria deformis habetur, quàm formosa servatur. Nihil tutum eſt, in quo totius populi vota ſuſpirant. Alius formâ alius ingeniô, alius liberelitate ſollicitat.

8. Quòd ſi propter dispensationem domûs, & langvoris ſolatia, & fugam ſolitudinis ducantur uxores, multò meliùs ſervus, fidelis diſpenſator, obediens authoritati domini, & diſpenſationi ejus obtemperans, quàm uxor, quæ in eo ſe exiſtimat dominam, ſi adversùm viri faciat voluntatem, id eſt, quod placet, non quod jubetur. Aſſidere autem ægrotanti magìs poſſunt amici, quàm illa, quæ nobis imputat lachrymas ſuas & hæreditatis ſpe vendit illuviem, & ſollicitudinem jactans languentis animum deſperatione conturbat. Quòd ſi ipſa languerit, coægrotandũ eſt, & nunquam ab ejus lectulo recedendum. Aut, ſi bona fuerit, & ſuavis uxor (quæ tamen rara avis eſt) cum parturiente gemimus, cum periclitante torquemur. Porro liberorum causâ uxorem ducere, ut vel nomen noſtrum non intereat,

pereat, vel habeamus senectutis præsidia, & certîs utamur hæredibûs, stolidissimùm est. Quid enim ad nos pertinet recendentes è mundo, si nomine nostro alius nominetur, cùm, & filius non statim patris vocabulum referat: & innumerabiles sint, qui eodem apellentur nomine. Aut quæ senectutis auxilia sunt, enutrire domi, qui aut prior te fortè moriatur, aut perversissimîs sit moribûs? aut certè cùm ad maturam ætatem venerit, tardè ei videaris mori? Hæc, & hujusmodi Theophrastus.

9. Expertus olim Pater, & Patriarcha Minorum S. Franciscus Seraphicus quanti esset meriti obedientiæ virtus, maluit semper subesse, quàm præesse. De illo sic scribit Cherub Marianus D. Bonaventura in vita S. Franc. cap. 6. *Ut pluribûs modis negotiator Evangelicus lucraretur, ac totum præsens tempus conflaret ad meritum, non tam præesse voluit, quàm subesse, nec tam præcipere, quàm parere. Idcirco Generalis cedens officio, Gvardianum petiit, cujus voluntati per omnia subjaceret. Tam enim uberem asserebat obedientiæ, sanctæ, fructum, ut eis, qui ipsius jugo colla submitterent, nihil temporis sinè lucro transiret. Unde & fratri cum quo erat solitus ire, semper obedientiam promittere consveverat, & servare. Dixit aliquando socijs: inter alia, quæ mihi pietas divina concessit, hanc gratiam contulit, quòd ita diligenter novitio unius horæ obedirem, si mihi Gvardianus daretur, sicut antiquissi-*

quissimo, & discretissimo fratri. Subditus, inquit, Prælatum suum, non hominem considerare debet, sed illum pro cujus amore est subjectus. Quantò enim contemptibilior præsidet, tantò magis humilitas obedientis placet.

10. Ex his liquet, quanti Sanctissimus ille Pater, & spiritualium rerum scientissimus obedientiam fecerit: quod nam verò motivum fuerit, quòd tantus cultor virtutis hujus excellentissimæ extiterit? non aliud profectò, quàm ille, qui apud suum Evangelistam Matth. 20. 28. dicit: *Filius hominis non venit ministrari sed ministrare.* Et Joann. 6. 38. *Descendi de cælo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Christus inquam, qui, juxta assertum Mellifluí Bernardi ad milites Templi, *maluit perdere vitam, quàm obedientiam.*

11. Atqueadeò ab illo omnes Religiosi libenti, & promptô animô discant obedire, ut ad illum mereantur pervenire: neque quosquam habeant propriæ voluntatis loculos, nam affirmante iterum specificato Bernardo, *sunt loculi, non modò pecuniæ, sed etiam propriæ voluntatis:* qui quidem loculi suos possidentes locô privarent cælestî. Neque quispiam se vovisse doleat, sed potiùs consideret quòd magna ex votis obtineat. Satiùs ei sit ad aliquod tempus vinculis Religionis ligari, quàm ligatîs manibûs, & pedibûs (Matth. 22. 13.) mitti in tenebras exteri-

teriores. Sinè voto, fortè viveret pro voto, atq; ita perderet seipsum. Gaudeat, quòd multa non possit, quæ non debet. Audiat Augustinum epist. 45. ad Arm. *Non te vovisse pæniteas, imò gaude jam tibi non licere, quod cum tuo detrimento licuisset. Aggredere itaquè intrepidus, & dicta factis imple. ipse adjuvabit, qui vota nostra expetit: felix necessitas, quæ ad meliora compellit.* Ad Religionem DEUS vocavit, quos extra illam perituros agnovit: felix ergo illa necessitas, qua premente cogitur quis sæculô exire, ubi illi contigisset perire, & ubi teste Bernardo serm. de primordijs, *omnis laboris remedium, est alterius laboris initium.* At verò in Religione, remedium laborum, consideratio est præmiorum. *Delectet igitur mentem* (inquit Gregorius hom. 37 in Evang.) *magnitudo præmiorum, sed non deterreat certamen laborum.*

12. Reminiscaris ergo jam Dilectissime in Christo Frater Professande rerum temporalium dominio, ac possessione te abdicare; solùm nudum usum necessariorum à Superiore petere; fuge oblectationes carnis, quæ quidem quamvis momentaneè tantùm genio arridere videantur; æternum tamen pariunt cruciatum: *Credas* (inquit D. Hieronymus epist. 4. ad Rusticum) *tibi salutare quidquid Monasterij Præpositus præceperit.* Et fiet, quòd Votis Religiosis; Paupertate videlicet, Castitate, & Obedientia non

contrariaberis Christo, sed his manebis in illo, & ille in te, sicq; feres fructum multum, cujus ubertate saginatus non esuries in perpetuas æternitates.

EXHORTATIO XXVIII.
ad unum.

Unum odiô habebit, & alterum diliget; unum sustinebit, & alterum contemnet. Matth. 6. 24.

1. REx, & Monarcha Persarum terræ Darius, ab Alexandro in arte militari eousquè raro, Macedonum Rege fortitudine martiali superatus, cùm se tam potenti hosti imparem inveniret, Legatos misit, ea, quæ pacis sunt rogavit, citra tamen sui subjectionem victori; ast regnum dividere; medietatem sibi servare, medietatem Alexandro cedere intendebat. Reponit Alexander: Nec cælum utiquè patitur duos soles; nec regnum duos reges habere potest: hinc aut mihi subjaceas, aut in crastinum egrediaris ad campum acies instructurus. Qua modalitate Darius cum Alexandro, eadem nonnulli terrigenarum, cum DEO tractare videntur, dum recusant se totaliter illius subdere Majestati, ast cordis regnum quasi partiri: volunt una manu

præ-

præcepta DEI, altera voluptates mundi amplectiti: volunt eodem hiatu & terrenis, & cælestibus abundare: volunt ibi coregnare Christo, sed hìc nolunt compati Christo; avent delicijs cælestibus frui, sed hìc immerguntur delicijs mundi: volunt inquam esse, qui nominentur servi DEI, ast operas locare non verentur avernali hosti. Sed oleum, & operam perdunt: Enimverò: *Nemo potest duobus Dominis servire*, inclamat Veritas æterna apud suum Evangelistam Matth. 6. 24. & statim subjungit rationem: *aut enim unum odiô habebit, & alterum diliget: aut unum sustinebit, & alterum contemnet.* Quasi diceret Doctissimo Stapletone interprete in Prompt. Mor. Domin. 14. post Pent. tex. 1. Quisquis mammonæ, quisquis diabolo, quisquis mundo, quisquis carni, ejusquè voluptatibus servit, ineptus est ad servitium DEI, ineptus est ad regnum DEI.

2. Dilectisime in Christo Frater Professande! luce hodierna Votis Religiosis; Paupertate nimirum, Castitate, & Obedientia DEI servitio te intendis mancipare, age proinde, ut in hoc semper viâ justitiæ & nuspiam iniquitatis gradiaris. Eccl. 2. 14. Ad quod accuratiùs effectuandum vel illa inservient, quæ ulteriori adducam discursu. Fave.

3. Paupertate Religiosa, seu Evangelica, qui O. DEO in servitium adscribi exoptat,

consequenter omnis Religiosus, ut semper viâ justitiæ, & nunquam iniquitatis gradiatur attendat oportet, nè hanc vel in minimo labe inficiat proprietatis, dicendo quandoquè: hoc meum, hoc tuum, hoc suum, hoc Cephæ, hoc Pauli, hoc reliquorum. Hunc loquendi modum manifestè expungit D. Legislator Augustinus, dum in Regula ita fatur: *Nec dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia & distribuatur unicuiquè vestrum à Præposito suo victus, & tegumentum, non æqnaliter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed potiùs unicuiquè, sicut cuiquè, opus fuerit. Sic enim legitis in actibus Apostolorum, quia erant illis omnia communia, & distribuebatur unicuiquè, sicut cuiquè opus erat. Rursus etiam illi, qui aliquid habebant in sæculo, quando ingressi fuerint Monasterium, libenter velint illud esse commune. Qui autem non habebant, non ea quærant in Monasterio, quæ nec foris habere potuerunt: sed tamen eorum infirmitati, quod opus est tribuatur, etiamsi paupertas eorum talis erat, quando foris erant, ut nec ipsa necessaria poterant invenire.* Id ipsum sentit & aurei oris Doctor S. Chrysostomus, dum libr. 3. aver. vituperatores vitæ monasticæ *meum, & tuum,* id quod omnia pervertit, & perturbat, eliminatum esse ultroneè affirmat. Quapropter D. Benedictus in Regula c. 33. talem, qui aliquid suum esse dicere præsum-

summeret correptioni subjacere demandat. Nquè verò multitudo illa credentium (Act. 4 32.) quidpiam suum esse dicebat, sed habebat cor unum, & animam unam.

4. Frænanda itaquè est lingua ab ejusmodi sermone texendo, tum ob disciplinæ Regularis servandam tutelam inculpatam, tum ædificationis aliorum ergo, tum reminiscentiæ gratiâ voti olim DEO nuncupati: & tunc quilibet Monasticæ vitæ professor confidentiùs replicabit: *Ecce nos reliquimus omnia* Matth. 19. 27. discetquè quô animô habere oporteat, utivè concessis: Discet inquam Religiosæ paupertatis cultor hôcce pactô, pro sua voluntate contra voluntatem sui Præpositi, & morem Regularis vitæ ex nulla parte expendere bona communitatis, nec terrenis affici, quibûs per S. Professionem renunciavit, sicquè subterfugiet illam censuram, quam S. Hieronymus ad Rusticum Monach. in sua ep. affert dicendo: *Vidi quosdam, qui postquam renunciavêre sæculo, vestimentis duntaxat, & vocis professione, non rebus; nihil de pristina conversatione mutârunt, res familiaris magìs aucta, eadem ministeria famulorum, idem apparatus convivij. Pleriquè artibus, & negotiationibus pristinis carere non possunt, mutatîsquè nominibûs institorum eadem exercent commercia; non victum, & vestitum (quod Apostolus præcipit* 1. Tim. 6.) *sed majora, quàm sæculi homines sectantes, & sub religi-*

ligionis titulo exercentur musta compendia, & honor Christiani nominis fraudem magìs facit, quàm patitur. Quodquè (pudet dicere, sed necesse est, ut saltem sic ad nostrum erubescamus dedecus) publicè extendentes manus, pannis aurum tegimus, & contra omnium opinionem plenis sacculis morimur divites, qui quasi pauperes viximus.

5. Qui uxorem nunquam duxit, eum Comicus, teste Dalmatâ Purpuratô S. Hieronymô libr. 1. advers. Jovinianum, fortunatum putat, & sanè. Nam (ut advertit Gregorius Nissenus libr. de virg. cap. 3) *Varia, & multiplex est malorum copia, quæ ex matrimonio existunt. Dolorem enim liberi afferunt & nati, & non nati, & vivi, & mortui. Hic liberorum multitudine gaudet, sed gemit, quia non habet unde alat; ille contra, qui in divitijs quærendis multùm laboravit, nunc hærede caret, cui eas relinquat. Itaquè unius bona fortuna, alterius est calamitas, cùm sibi uterquè illud evenire velit, quô alterum cruciari videt. At huic mortuus est suavissimus puer, illi verò vivit filius perditus: uterquè sanè commiseratione dignus; unus enim filij morte, alter vitâ dolet. Affectus porro, & perturbationes, rixas, tum ex rebus veris, tum ex falsis suspicionibus temerè ortas, quis enumeret?* Quare meritò Apostolus 1. Cor. 7. 26. identidem affirmat: *Bonum est* (inquiens *homini sic esse.* Ex quo D. Hieronymus libr. 1. advers. Jovinianum

ita

ita ratiocinatur: *Si bonum est homini sic esse: ergo malum est homini sic non esse.*

6. Nequè etiam in conjugio optatæ inveniuntur persæpè voluptates; imò tribulationes sæpissimè, quæ neutìquam sperabantur. Quod unô verbô Paulus l. c. ℣. 28. dum de conjugibus disserit, innuit dicens: *Tribulationem habebunt carnis hujusmodi.* In quæ verba D. Hieronymus adversùs Jovinianum ostendit Religiosos esse ignaros, putantes nuptias habere lætitiam carnis. Inquit enim: *Nos ignari rerum putabamus nuptias saltem carnis habere lætitiam. Si autem nubentibus etiam in carne tribulatio est, in qua sola videbantur habere delicias, quid erit reliquum, propter quod nubant? cum & in spiritu, & in anima, & in ipsa carne tribulatio sit.*

7. Nullas ergo delicias in se habent nuptiæ; ast potius multas, illasquè innumerabiles tribulationes, quæ sinè merito sæpenumero tolerari debent, quia spe voluptatis sæpiùs homines eas amplectuntur. Hinc S. Chrysostomus hom. 16. ad pop. quid conjugati sentiant de Religiosis pulchrè ostendit dicendo: *Cùm se ærumnis & angoribus circumseptos vident, solent eos beatos appellare qui conjugij expertes in cenobijs cum tranquillitate vivunt, quia non sæcularem tristitiam, non dolorem, non curas illas non pericula, non insidias, non invidiam, non Zelotypiam, non absurdos amores, nec aliud quidpiam ejusmodi patiuntur*

Illi

Illi Religiosos beatos prædicant, & affirmat, qui nullam ex matrimonio capiunt lætitiam, imò in dies majorem experiuntur mæstitiam. Expertis omnino est adhibenda fides, & qui tantarum miseriarum copiam evasit, gaudeat oportet, Deoq; quàm potest maximas gratias agat, & si quid laboris sit in cælibatu, libenter ferat, illum tenaciter custodiat memor illius: *Quoniam felix est sterilis, & incoinquinata, quæ nescivit thorum in delicto, habebit fructum in respectione animarum sanctarum: & spando, qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversùs DEUM nequissima: dabitur enim ei fidei donum electum, & sors in templo DEI acceptissima. Bonorum enim laborum gloriosus est fructus.* Sap. 3. 13. & sequ.

8. Quàm præstanter in obedientiæ virtute se gesserit olim S. Paulus simplex? brevibus videamus! Venerat hic jam sexagenarius senex ad S. Antonium, ut Monachus fieret; porro per triduum impransus, & in cænatus expectavit decisivam. Tandm ferreô hôc, ut ita dicam, propositô, expugnatus Antonius, poteris, inquit, esse salvus, si habeas obedientiam, & quod à me audieris facias. Faciam, ajt senecio quæcunquè jusseris. Quare S. Antonius talem vitæ asperæ agendæ suscepit rationem illis diebus, qualem quando fuerat in principio juventutis; cujus tamen imitatorem in omuibus habuit suum simplicem tyronem. Itaquè, ubi vit Sanctus

vidit

vidit mentem Pauli nil moveri adversis, cæpit eum tentare circa obedientiam, præcepitquè ei, quæ ratio, & causa non posceret. Haurire namquè eum aquam jussit ex puteo, & in terram toto die effundere; Contextas sportellas resolvere, & rursus contexere; vestimentum dissuere, & iterum consuere, iterumque dissolvere; Urnam mellis frangere, & mel effundere, effusumquè conchâ colligere nè sordes simul colligerentur, quod erat difficillimum. Quid multa! In pluribus hujusmodi senex, senem probavit, ut in nullo prorsus eorum, quæ etiam contra rationem videbantur, disceret contradicere. Ast quo fructu? Ecce: DEUS ob simplicem obedientiam Paulo tantum imperium concessit in dæmones, quantum non dederat Antonio. Jam: si tale præmium à bonitate Divina jam datur homini in exilio, ob cæcam obedientiam, qualem ergo non mercedem sperabit in Patria? ubi proprius est remunerationis locus.

9. Cæca ergo sit obedientia in Religioso oportet; non quod non videat, quæ exequatur, quomodo enim alioqui ageret? aut quòd temerariè, & cæcô modô irruat in executionem; sed quòd rationes præcepti, seu motiva, quæ Superiorem induxerunt ad præcipiendum, non perscrutetur, satisquè ei sit, quidquid præcipiatur, dum illicitum esse non constat. Quare D. Greg. in 1. Reg. inquit: *Vera obedientia nec*

Præpo-

Præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ judicium majori subdidit, in hoc solo gaudet, si quod præcipitur sibi, operatur; nescit enim judicare, quisquis perfectè didicit obedire.

10. Ergo neqè tu Dilectissime in Christo Frater Profitande illa ad libram accipias, quæ tibi à tuo imponentur Superiore exequenda, sed in hoc solo gaude, si hoc quod tibi præcipietur prompta, hilariquè fronte omnimodæ mandaveris executioni. Audi quid dicat Cassianus Collat. 24. cap. 26. *Centuplam fratrũ, parentumvè recipiet quantitatem, quisquis patris unius vel matris, seu filij pro Christi nomine charitate contempta, in omnium, qui Christo serviunt, dilectionem sincerissimam transit. Pro uno scilicet tot inveniet fratres, patresquè ferventiore, ac præstantiore sibi affectione devinctos. Multiplicata etiam domorum, atquè agrorum possessione ditabitur, quisquis unâ domó, pro Christi dilectione rejectâ, innumera Monasteriorum habitacula, tamquam propria possidebit, in quacunquè orbis parte, velut in suæ domus jure succedens: quomodo enim non centuplum, & si Domini nostri sententiæ superadjici aliquid fas est; plusquam centuplum recipit, qui decem, vel viginti servorum ministeria, infida, & coactitia relinquens, tot ingenuorum, ac nobilium spontaneô fulcitur obsequió? Quod ita esse, etiam vestris experimentis probare potuistis, qui singulis patribûs,*

matri-

matribúsque, ac domibûs relictîs, quamlibet mundi partem fueritis ingressi, patres, matres, fratresquè innumeros, domos quoquè, & agros, servosqè fidelissimos, conquiritis, qui vos, ut proprios dominos summîs venerantur officîjs. Scias etiam velim, quia D. Cyprianus serm. adversùs improperia mult. vocat mulierem, *laqueum comptum, & naufragium super terram:* hinc cavesis spontaneè irretiri laqueo, vitâ tuâ, quem modò effugis, evadis, & certo exponi naufrgio, quod defactò vitas, sicquè justitiæ, & non iniquitatis viâ incedes, donec pertingas illò, ubi finè fine vives æviternè.

EXHORTATIO XXIX.
ad unum.

Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam. Lucæ. 15. 6.

1. DAbis veniam Divinissime animarum humanarum, idemquè Cælestis earundem Pastor, dum autumem non tibi, ast jure potiori oviculæ esse aggratulandum; cùm felicior, meliorquè videatur conditio inventæ, quàm illius, qui aberrantem invenit, humerisquè proprijs in caulam reportavit. Enimverò quid amisisti hâc ove amissâ? Decessusnè quispiam irepsit in

Po-

Potentia, Majeſtate, & Felicitate tua? nunquam, quia, Pſalte atteſtante Pſal. 15. 1. nullius creaturæ eges bonorum. Tu ſola es illa ab æterno felicitas, quæ nulli infauſto caſui fuit ſubjecta! ſi machina tota mundi in chaos illud primitivum diſſolveretur, tantillum cauſaret tibi nocumenti, quantillum cauſavit illa tertia pars Angelorum, quæ felicitate ætera excidit unà cum principe ſuo ſempiterno igne cremanda. E contra infelicem oviculam illam dixerim, quæ Paſtoris non modò pedum, ſed, & oculos ſubterfugit; ita enimverò caret præſidiô, caret paſcuis, caret conſortiô gregis, caret ſecuritate à lupo. Et hæc omnia conſequitur bona, his fruitur commodis inventa à Paſtore: ergo non Paſtori, ſed ovi, quæ perierat, inventæ, gratulandum.

3. Dilectiſſime in Chriſto Frater Profeſſande! ut non de cortice, ſed de nucleo loquar, pando, quod ſentio myſterium! totumquantum Chriſtus Dominus gaudium ſuum poſitum habet in eo, dum peccator recedit à malo, & arripit bonum: atq; cum hac veritate apud ſuum Evangeliſtam Luc. 15. 7. proteſtatur dicens: *Ita gaudium erit in cælo ſuper uno peccatore pænitentiam agente, quàm ſuper nonagintanovem, juſtis, qui non indigent pænitentiâ:* atqueadeò ſubterfugis incentivum mali, & amplecteris Votis Religioſis; Paupertate videlicet, Caſtitate, & Obedientia,

entia, bonum; age allabora, ut ſemel inventus à Chriſto, his ampliùs non perdaris: *Nemo* enim (ajt ſacer Textus Luc. 9. 62.) *mittens manum ſuam ad aratrum & reſpiciens retrò aptus eſt regnô* DEI. Quod nè fiat, vel illa erunt motivô efficaciori, quæ præſenti adducam diſcurſu. Fave.

3. Memoratur in Chronicis Minorum S. Franciſci l. 2. c. 11. min. gall. de F. Leone uno ex primis Seraphici Patris Socijs, quòd factus aliquando in extaſi ductus fuerit ad maximum quoddam flumen, & impetuoſum, & latum: ubi, cùm aſpiceret tranſeuntes, vidit aliquos fratres oneratos ingredi dictum flumen, qui illicò ab impetuoſitate fluminis ſubvertebantur, & à voraci abſorbebantur profunditate: quidam ibant uſquè ad tertiam, & mediam partem fluminis, & interibant: alij quaſi usquè ad finem, qui omnes propter ſarcinas, & onera, quæ portabant, diverſimodè ſecundùm diverſas ſarcinas à flumine mergebantur, & peribant. Quod cum F. Leo non ſinè maxima compaſſione ſpectaret, vidit ſubitò alios ſinè onere, & ſarcina omnis rei, inquibus ſola paupertas ſancta relucebat, tranſire ſinè periculo, & læſione aliqua. Intellexit, verò, quod per flumen intelligatur mundus, per illos autem, qui à flumine ſorbebantur, notari eos, qui profeſſionem Evangelicam, & paupertatem ſpiritûs non ſequuntur. Illi verò, qui ſinè periculo tranſibant, ſunt Fratres ſpiritu

DEI habentes, qui nihil terrenum, nihil carnale amant, aut quærunt, aut possident; ideo faciliter, & sinè periculo de temporalibus transeunt ad æterna. Nec mirum! Sancta enim paupertas suos, qui adhuc dum viam incipientium gradiuntur, servat, nè ad cujusvis lapidem lapsus offendant pedem; qui in via sunt proficientium, eis callem sternit ad virtutes: & qui invia perfectorum, seu unionis cum DEO, ad summum tandem apicem perfectionis deducit. Tollit enimverò in prioribus paupertas hæc sancta vitiorum omnium, & scelerum instrumenta, tollit arrogantiam, tollit superbiam, tollit ambitionem, ebrietatem, gulam, avaritiam, incontinentiam, acediam, & alia multa vitia, quæ ex abundantia, tamquam fumus ex igne erumpere solent, imò etiam peccandi facultatem quodammodo tollit in multis, cùm magna pars peccatorum ab hominibus rerum terrenarum, pecuniæquè præsidiô committatur. Paupertas ergo quasi securis est, quæ uno ictu cupiditatem amputat, & omnia vitia ex ea propullulantia exscindit, adeoquè animæ puritatem fundat.

4. Et non tantùm paupertas vitia prohibet in prioribus, & arcet, sed & in posterioribus, videlicet proficientibus virtutes ferè omnes inducit, ut temperantiam, modestiam, humilitatem, castimoniam, obedientiam, charitatem, pacem, devotionem, orationem &c. Hinc Sanctus

ctus Franciscus Seraphicus D. Bonaventurâ referente interrogatus quænam illa virtutum foret, quâ DEO maximè existimus grati, & commendati, insolito quodam affectu reposuit: *Paupertas, ea enim est via salutis, humilitatis fons, perfectionis radix.*

5. Ultimos autem, seu novissimos asseveraverim, nempe illos, qui in via unionis jamjam cum DEO sunt constituti, firmat in charitate DEI, & proximi, ad quam paupertas rectà dirigit, ac ducit: nam *meum ac tuum* frigidum illud verbum, è quo, ut docet S. Chrysostomus, omnes lites, & bella inter proximos oriuntur, è medio tollit. Avellit item ab omni cura, & amore rerum temporalium, terrenarum, & quæ sunt mundi, adeoquè totum animum in DEO defigit, redditquè hominem mundo, & carne superiorem, velut Angelum cum Angelis conversantem, atquè totam hominis Religiosi, jamquè perfecti mentem, amorem, cogitationem, curam, desiderium in DEUM transfert, ut unus cum eo evadat spiritus, totus à caducis, & perituris avulsus, Deoquè unitus, donec feliciter æterna pro terrenis obtineat, Deòquè summo, & incommutabili bono suo fruatur, Illumquè inamissibiliter possideat. Ita Veritas illa infallibilis apud suum Evangelistam Matth. 5. 3. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

6. Dum è contrario plerique in via incipien-

pientium dictum flumen ingressi, terrenis adhuc onerati sarcinis à voraci profunditate, absorbentur; non pauci proficientes ad mediam fluminis partem progressi submerguntur, imò etiam alij jam perfecti finem fluminis, littusvè propè jam attingentes, tamen adhuc ab oneribus mundanis, reculis, & rebus sæpe levibus, quibus cor apponunt, oppressi merguntur, ac pereunt. Est namquè violatio paupertatis ruina multorum juxta illud: *Ruina est homini, retractare post vota.* Prov. 20. 25.

7. Quisquis igitur Religiosæ perconsequens Evangelicæ paupertatis professor pecuniâ, seu aliâ re contra mentem Superioris utitur, pretiô æstimabili, *ruina est homini;* quisqus rem quamcunquè, aut à quocunquè donatam, Prælato in fraudem, celat, vel cùm præcipit, ut reddatur, vel alteri concedatur, aut detur, non illicò reddit, concedit, dat, *ruina est homini;* quisquis abscondit clavem, nè Prælatus quidquam tollat, aut aliud disponat; & si quid tollitur, turbatur murmurat, *ruina est homini.* Quisquis deliberatè eô est animô, ut si quidpiam tolleretur, aut repereretur, non statim supersederet *ruina est homini.* Et quare, amabo? qui hi omnes, & singuli *post vota retractant,* repetunt, quod spontè obtulerunt, & ut S. Bernardinus Senensis sententiat, *votum violant, & proprietarij sunt.* Per

pro-

proprietarios autem hìc intelligendum venit, qui contra votum paupertatis res quaspiam in materia notabili, seu tali quæ suapte est sufficiens ad peccatum mortale, acceptant, detinent, & usurpant rationabiliter invitis, vel inscijs Superioribus: ita P. Kerkhove in comment. c. 6. §. 7. de pæn. prop.

8. Dicet fortè nonnemo Religiosæ Castitatis professor: dum spirituales Magistri vetant mulierum familiaritatem, intelligendi sunt de mulieribus improbis, & insipientibus, ego autem diligo probam, & prudentem: est illa improba, quæ tuum vesanum amorem probat, nec adeò sapit, quæ in tui amore non desipit; quæ te plùs aquò diligit, vel quæ à te quidpiam accipit oblatum. Etenim si dandum sit, furandum est; si accipiendum, restituendum. Numera dinde quanta ex nimia illa familiaritate & amicitia oriantur damna: læditur anima, perturbatur conscientia, teritur tempus, augetur zelotypia fama commaculatur, proximus scandalizatur. *Quid ne esse est* (inquit D. Ambr. l. 1. offic. c. 20.) *ut demus sæcularibus obtrectandi locum?* Crescit insuper dolor, quando illa est relinquenda, quæ nunquàm erat diligenda. Cur ergo debet quærere Religiosus mulierum consortium, qui non potest habere idem semper domicilium? Si uxoratis omnia tandem sint relinquenda, secundùm illud Horatij:

Linquenda tellus, domus, & placens uxor.
Eò magis Religioso, qui jam omnia reliqisse profitetur, & cui tandem mutandus est locus.

9. Porro qui quærit cum mulieribus versari, & ab illis adamari, optat pejorem febrem super alteram sibi adhiberi, aut gravius onus super aliud. Audiatur Cyprianus de singularitate Clericorum: *Habes nunc carnem tuam, quam superes semper. Quid tibi vis alteram conducere? Nemo super unam febrem cupit adhibere pejorem, nequè aliquis super onus proprium tollit insuper alienum, nè oneribûs duobûs oppressus, usquè ad inferos demergatur.* Hinc submergendi quamprimum isti amores omnes, nè mergant suos sectatores. Nolit inquã Religiosus cum quacunquè muliere amicitiam contrahere, si non velit ad gehennam attrahi, atquè ita quodammodo ab una gehenna ad alteram trahi. Deniquè juxta D. Hieronymi præscriptum; omnes mulieres vel æqualiter ignorandæ vel æqualiter diligendæ, nulla specialiter diligatur, cùm omnes sint desertæ, ut DEUS specialiùs diligeretur, & ei liberiùs inserviretur. Eapropter Apostolus dum 1. Cor. 7. 32. aliquos ad cælibatum hortaretur, dicebat: *Volo vos sinè sollicitudine esse.* Sentiens cælibes vivere in præsentiarum sinè sollicitudine, quod non exiguum, postremumvè beneficium est. At quærit sollicitudinem, qui quærit fæminarum familiaritatem; nam cogitandum est de munusculis

præ-

præbendis, de loco, & tempore ad colloquendum cum ipsis, de modo ipsis placendi, quod neutiquam sinè sollicitudine fit, sinè scandalo, murmuratione, & sine animæ detrimento practicari haud valet. Quid proin quærit sollicitudinem, qui sinè sollicitudine vivere decrevit? frustra concupiscit, quô uti castitas DEO nuncupata vetat.

10. Audivit olim S. Brigitta, referente piissimo Blosio apen. 4. instit. spirit. n. 6. etiam istud dicentem: *Qui magis cuperet jejunare, quàm comedere, & tamen propter obedientiam comedit, habebit mercedem, quam consequitur is, qui rectè jejunat.* Unde idem Author ad Novitium in brevi reg. Tyronum spiritualium §. 2. n. 3. ita fatur: *Meliùs est sobriè, & continenter ad gloriam DEI manducare, quàm rigidam antiquorum Patrum abstinentiam, propria voluntate sectari: quidquid ex obedientia fit, quamvis vile, & abjectum esse videatur, DEUS magnifacit, & mercede remunerat eximiâ.*

11. Et nedum in operibus externis, & corporalibus, verùm etiam, imò multò magis in internis, & spiritualibus exercitijs ductum, & judicium Superioris sequatur Religiosus necesse. Enimverò quo res spirituales sunt eminentiores, tantò erit in illis majus periculum, & ruina damnosior, nisì ductor in illis sequatur. Hinc Cassiano collat. 2. affirmante dæmon nullô vitiô sæpiùs, ac magis Monachum in præcipitium

 detur-

deturbat, quàm, dum illi lænocinatur, ut despe-ctîs Superioris consiliîs proprio judicio, reso-lutione, ac scientia nitatur. Atquè ad hanc ve-ritatem comprobandam non desunt plurima Mo-nachorum exempla, qui, cùm in militia spirituali admodum provecti essent, quòd proprio judi-cio plùs justò fiderent, & juxta illud se dirigere vellent, à diabolo turpiter decepti, & illusi sunt. Unum tantùm ad præsens adduco, quod refert Climacus gr. 4. Etenim quemdam Monachum diabolus induxit, ut se de rupe præcipitem da-ret, persuadens pactô hôc martyrem fore, mox-què cælos ingressurum: dæmoni obtemperavit, & animam sempiterno consignavit orco.

12. En! vides Dilectissime in Christo Frá-ter Professande, quam sit periculosum proprium judicium sequi, abnega illud ex nunc, & stude semper judicio Superioris conformari. Serva firmum propositum charitate conceptum semper pauperem vitam ducendi (equidem, ad mentem Bernardi, *Non paupertas virtus reputatur, sed pau-pertatis amor*) & hoc propter Christi expedi-tiorē imitationē, propter mundi, ac tui contēptū, propter exercitium virtutum, propter S. Evan-gelij prædicationem, & proximorum ædificati-onem. Fuge ob amorem Castitatis, ac imitatio-nem Christi quodlibet fæminarum consortium, incontinentiæ occasionem, ac mundi ad libidi-nem provocationem; ab ipsis etiā imaginationi-

bus

bus irreverentibus, ac turpibus, ac impuris, statim à principio te averte diligenter, mentem ad alia cæteroquin honesta, & sancta studiosè applicando, motibus in sensualitate libidinosis insurgentibus, & delectationibus, titillationibus, ac pruritibus venereis in carne nascentibus firmiter resistendo, divinum contra eos confidenter, & perseveranter auxilium invocando, & carni si opus fuerit, aliquam congruam mortificationem applicando, & hoc magìs intensam, quàm prolixam. Et fiet, quòd inventus à Christo Votis Religiosis; Paupertate duntaxat, Castitate, & Obedientia, non perderis æviternè.

EXHORTATIO XXX.
ad plures.

Custodite verba pacti hujus, & implete ea, ut intelligatis universa, quæ facitis. Deut. 29. 9.

1. ORbis caput Roma, illum antiquitùs præsetulerat consvetudinis morem, quòd exteros populos in amicititiam recipiebat, ac fædera, quæ dein statîs temporibûs renovabantur: solemnitas in paucis erat pomposissima; primò quidem in publico foro coram universo Senatu clara voce prælegebantur volumina legum, ac pacto-

pactorum, tum exterarum Gentium Legati homagia præstabant una ac pretiosa munera offerebant, denique festivo populi applausu inter tympanorum, tubarum, & aliorum instrumentorum jubila solemnitas claudebatur.

2. Dilectissimi in Christo Fratres Profesfandi, Majores nostri Annô Domini 1215. si Collectorem Eusebium Canonicum Strigoniensem, quodsi verò Paulum Ægyptium adolescentem fugâ saluti consulentem, in solitudines invias penetrantem, captumquè nova tranquillitate primum omnium vitam Eremiticam exemplô instituentem; tantô deinceps studiô propagandam, ut in solitudine futura sit civitas; cujus tamen incolæ, & inquilini soli essent, & in frequentia singuli Pauli, spectemus 250. à Christo nato, seu, ut alij volunt: 168. quô hic persecutionem Decij declinavit, fecêre, iniêrequè cum Domino DEO pactum, fædusvè laudabilissimum, & utilissimum, quia finis, ac scopus unicè tendit ad animarum nostrarum salutem: quod vos toties optimè renovabitis chorô cælestî inter jubila applaudente, quoties Votis Religiosis, Paupertate duntaxat, Castitate, & obedientia, stygio hoste contrarium suadente, recordabimini rati, & grati. Quod, ut præstetis, vel illa allicient, quæ præsenti adducam discursu. Favete.

3. Effatum illud Domini Evangelistæ Matth. 8. 4. quilibet Religiosus sibi dictum

in-

intelligat, oportet, quod in specie est tenoris sequentis: *Offer munus tuum;* seu quod idem sonat: *Immola DEO sacrificium laudis, & redde Altissimo vota tua.* Psal. 49. 14. hoc est, commentante Doctissimo Le Blanck, *sit vita tua bujusmodi, ut tuus laudetur, & celebretur Dominus; & perfectum Sacrificium obtulisti. Ille enim,* affirmat egregiè ad nostrum discursum S. Bruno Episcopus Herbipolitanus in Psal. cit. *DEO immolat Sacrificium laudis, qui à terrenis vitiis segregatus moritur mundo, ut hostia fiat Christo.* Ille autem mortuus mundo fit hostia Christo, qui reddit Altissimo vota sua in divitiarum contemptu, ab omni rerum fluxarum, caducarum, mundanarum terrenarum, & temporalium cura exvinculatus, totum se per paupertatem in manus Providentiæ Divinæ consignat, ut expeditiùs ejus operibus servitij, augendæ Divinæ gloriæ, animarum deniquè incumbat saluti, quatenus ex se hominibus sic contemptu divitiarum, quæ rectè spinæ appellantur, voluptatumquæ, sanctæ adhæc simplicitatis, ac sobrietatis studiô exemplum præberet. Hoc enimverò est DEO offerre munus, immolare sacrificium laudis, & reddere Altissimo vota sua. & in specie, ac peculiariter votum Evangelicæ paupertatis.

4. Hæc est illa excellentissima, & præstantissima virtus, de qua Seraphicus Franciscus in opusc. collat. 5. f. 255. ita fatur: *Paupertatem*

nove-

noveritis Fratres mei! virtutum esse Reginam; quia in Rege Regum, & in Regina Matre ejus tam præstanter effulsit. Paupertatem scitote Fratres! specialem esse viam salutis, tamquàm humilitatis fomentum, perfectionis radicem, cujus est fructus multiplex, sed ocultus. Hæc est enim Evangelici agri thesaurus absconditus, pro quo vendenda sunt omnia, & qaæ vendi non possunt, illius comparatione spernenda. Ad hujus culmen, qui cupit attingere, non solùm mundanæ prudentiæ, verùm etiam literarum peritiæ renuuciare quodammodo debet, ut tali expropriatus possessione introeat in potentias Domini, & nudum se offerat brachiis Crucifixi. Nequaquam enim sæculo perfectè renunciat, qui proprij sensûs loculos intra cordis arcana reservat. In omnibus ergo reluceat inter vos sancta paupertas, & præcipuè in domibus, quas ædificaveritis considerantes illud Evangelicum, quòd vulpes foveas habent, & volucres cæli nidos, filius autem hominis non habet, ubi caput suum reclinaret. - - Quantùm Fratres declinabunt à paupertate, tantùm mundus declinabit ab eis, & quærent, & non invenient. Si Dominam meam paupertatem complexi fuerint, mundus eos nutriet, quia mundo dati sunt ad salutem. Commercium est inter mundum, & Fratres: debent enim ipsi mundo bonum exemplum, debet eis mundus provisionem necessariam, quando autem retraxerint bonum exemplum, fide mentita retrahet mundus manum justâ censurâ.

5. Atque adeò mirificè & insolitè Seraphicus hic Pater erga Evangelicam paupertatem fuit affectus, ut ea sollicitudine, quâ in mundo avari se contorquent ad augendas opes, ille eâdem, imò majori urgeretur ad tuendam suam dilectam paupertatem. Hanc tam innumerabiles Sancti, & Sanctæ DEI tritam viam ad cælum habuerunt, dum eâ mundum, carnem, & diabolum calcaverunt, atq; suos sequaces calcare voluerunt. Hæc est sub Christi labaro militantium gloria: paupertate omnia vincere, paupertate de dæmone, deniquè de se ipso triumphare. Hæc est illa celsitudo altissimæ paupertatis, ultra quã non datur ascensus, dum per illam nihil habetur, & omnia possidentur Apostolo 2. Cor. 6. 10. teste.

6. Castitatem servantes, quàm puri efficiantur? noverat Cato quamquam Gentilis, repetebat enim inquiendo: *vita nostra similis est vitæ Deorum, si sinè uxoribus esse possimus.* Misso Gentili audiamus Bernardum, qui ep. 42. ad Henricum Sen. Archiep. ait: *Quid castitate decorius? quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum, de homine Angelum facit.* Adeò deniquè castitas Religiosos Angelis æquat, ut jam in terris de illorum familia deputentur: sic enim scribit Tertullianus libr. 1. ad uxorem de continentibus: *Jam in terris non nubendo de familia Angelica deputantur.* Sola inquam est castitas, quæ

in

in hoc mortalitatis loco; & tempore statum quemdam immortalis gloriæ repræsentat. Sola inter nuptiarum solemnia morem beatæ illius regionis vendicat, in qua *non nubent, neque nubentur:* Matth. 22. 30. præbens quodammodo in terris cælestis jam illius experientiam conversationis. Quare Ambrosius l. 1. de virg. ad cælibes: *Quod nobis, inquit, promittitur, vobis præstò est.*

7. Tandem nec oculus vidit, nec auris audivit, quàm singulare, quàmvè peculiare sit illud præmium, quod castitatis cultoribus in Patria illa cælesti asservatur, cùm de numero eorum veniant eunuchorum, qui se castraverunt propter regnum cælorum. Utiquè illi, Isaia attestante cap. 56. ℣. 4. & sequ. in domo DEI, & in muris ejus accipient locum, & nomen melius præ filijs, & filiabus hujus lucis. Enimverò, ut inquit D. Legislator Augustinus in loc. cit. de stat. virg. scribens, quamvis omnes beati sint in cælo, attamen peculiari, & excellenti gloria potientur, qui castitatem promiserunt, & servaverunt, quâ quidem gloriâ distinguentur à cæteris cælicolis, hinc etiam est, quod eis locum, & nomen melius à filijs, & filiabus; nomen sempiternum promittat se daturum DEUS, quod nuspiam interibit. Eapropter S. Basilius DEUM ipsum de voluntarijs eunuchis, qui videlicet castitatem sibi votô devinxerunt, sic loquentem addu-

adducit de humano nomine differens: *Angelorum immortalium eis nomen dabo, quod non deficiet; ut cælum, & cæli pulcherrimam partem habeant ad immorandum, atquè in cæli pulcherrimâ sede, hoc est, in domo mea, intra septa habitantes, non Angelorum jam naturam tantùm ad dignitatem perpetuæ successionis accipiant; ipsi sibi in æterna vita pro successione generis sufficientes, verùm & locum habeant inter Angelos illustrem, nomenquè indelebile pro eximiæ virtutis splendore.* Felix proinde *spado* (inquit continuò Sapiens Domini cap. 3. 14.) *qui non operatus est per manus suas iniquitatem, nec cogitavit adversus DEUM nequissima: dabitur enim illi fidei donum electum, & sors in templo DEI acceptissima.* Atquè hujusmodi sortem nemo alijs spadonibus autumet polliceri, ast spandonibus DEI, quì videlicet ultroneè se se omnibus carnis illecebris, spurcitijs, & oblectationibus in totam privarunt vitam.

8. Quod si quempiam è Monasticis professoribus votum castitatis DEO nuncupâsse pæniteret, talis audiat aurei oris Doctorem D. Chrysostomum; consolabitur certè, nec facti pænitebit; inquit enim præfatus S. Pater hom. 63. im Matth. sic: *Cogita, si aut à natura eunuchus esses, aut injuriâ hominum sic effectus, quid faceres, cùm & hujusmodi voluptate careres, & nullam carendo mercedem consequereris? Gratias igitur* DEO *agas, quia præmia, rutilantesquè coronas habebis,*

bebis, si ita vivas, quemadmodum illi sine aliquo præmio imò verò multò faciliùs, ac jucundiùs, tum quia spe retributionis corroboraris, tum quia conscientiâ virtutis gaudes. Ecce merces castitatis DEO per votum oblatæ non tantùm in cælis, sed etiã in terris copiosa. Revera ambabus, ut ajunt, amplectenda est castitas, quam tanta sequitur felicitas. Beati, inquam sunt cælibes, cùm futuri sint cælites. Verè avertendi oculi semper nè respiciant, quod concupiscere non licet, *qui* enimverò *viderit mulierem ad concupiscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo,* Matthæo cap. 5. 28. attestante. Verè cum D. Augustino lib. 10. Conf. cap. 29. supremum lumen deprecandum: *O amor, qui semper ardes, & nunquam extingueris: charitas DEUS meus accende me. Continentiam jubes: da, quod jubes; & jube, quod vis.*

9. Optandum foret, nè plerique S. Obedientiæ professores ejusmodi reperirentur, qui cum Rege Saul (1. Reg. 15.) pinguissima holocausta, id est spiritualia exercitia DEO se offerre arbitrantur; quia tamen hæc præstant ex judicio proprio magis, quàm ex Superiorum suorum præscripto, ideo offensionem DEI potiùs quàm gratiam merentur. Meritò proinde exclamat Henricus Harphius libr. 2. Theolog. myst. *O! si agnosceremus, quàm multi frustra absquè ulla, vel modica utilitate operentur magna, profectò multum miraremur; quia sæpe quod coram homini-*

minibus magnum apparet, coram DEO fætet. Quapropter bene S. Greg. l. 35. mor. cap. 13. docet, quòd esto in mandato peccaminoso subditus non debeat obedire, si tamen Superior aliqua libera operà bona fieri prohibet, illa minimè sunt facienda. Enimverò vera, & genuina obedientia, S. Basilio serm. de instr. Monach. attestante, subditi non tam colligitur ex eo, quòd caveat à malo, quàm in omittendo eo, quod ex se bonum, ac sanctum est, dum Superior jubet id omittere. Veritati huic consentit Blosius in Saul ann. §. 1. n. 7. sapienter quemlibet Religiosum DEO placere volentem his adhortans verbis: *propria voluntate relicta humiliter, prompteque obedi propter DEUM: melius est ex simplici obedientia urticas, & zizania extirpare, quàm ex propria voluntate sublimi rerum cælestium contemplationi operam dare, sacrificium enim DEO gratissimum est, propriæ voluntatis abnegatio.*

10. Vultis (nullus dubito) Dilectissimi in Christo Fratres Professandi hoc DEO offerre sacrificium? proprium sensum, proprium judicium, propriam vestram abnegate voluntatem. Mementote semel pro semper, ut quemadmodùm hìc & nunc divitias, & omnes mundi facultates respuere gestitis, ita in casu defectionis, & subtractionis rerum etiam necessariarum vobis, minimè turbemini, ob amorem paupertatis Christi, qui de seipso identidem dicit Luc. 9. 58. *Vulpes*

foveas habent, & volucres cæli nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput reclinet. Et Thren. 3. 1. *Ego vir vides paupertatem meam*: imò nequè his vestra apponite uspiam corda; sed tantùm concessis utamini, inquantum ratio postulat necessitatis. Et quamquam mente, & corpore fueritis casti si nonnullis tamen signis, & gestibus minùs probatis, excitabitis in vobis aut alijs libidinem, aut alicujus mali parietis suspitionem; scandalosam potiùs, quàm professam servabitis castitatē, sicquè cælesti minimè placebitis Sponso, qui non nisi illis delectatur, quæ intimam, illamquè peculiarem redolent puritatem: igitur similia cane pejus & angue scitote vobis esse fugienda semper. Quod si feceritis, pactum, fædusvè Majorum nostrorum cum Domino DEO initum, habebitis ratum, & gratum; illôq; ita renovatô efficiemini digni, qui à cælesti curia in amicos recipiamini æviternos.

EXHOR-

EXHORTATIO XXXI.
ad unum.

Quomodo huc intrasti? Matth. 22. 12.

1. NOn nisì Neronis, nonnisì Domitiani, aut Trajani; nonnisì Adriani, aut Aureliani; nonnisì Severi aut Maximini; nonnisì Valeriani, aut Aurelij, vel certè Juliani, aut alterius coronati carnificis cor haberet ille, qui lacero illi Evangelico non compateretur, dum pensiculatiùs consideraret absquè misericordia, absq; convivarum intercessione, absquè inducijs, manibus, pedibusquè ligatis in tenebras, in supplicia ejectum esse. Bone homuncio miseret me revera tuæ tam infaustæ sortis, ast insimul scire desidero meritum causæ? Contraxistinè decem millium talentorum debitum velut ille servus nequam de quo Evangelista Domini Matth. 18. 24. Locupletastinè te de mamona iniquitatis prout ille villicus de quo Lucas cap. 16. 2. refert? Profanastinè sanctuarium DEI prouti illi ementes, & vendentes fecerunt illud speluncam latronum de quibus iterum Lucas cap. 19. 46. narrat? Contaminastinè furtô manus tuas prouti olim Ananias, & Saphira (Act. 5. 2.) fecère? Nullius horum reum se esse affirmat lacer, sed solùm hoc fatetur: ego propterea tam atroci destina-

ſtinatus ſum ſupplicio, quòd non habens veſtem nuptialem ſub conſpectu Regis præſumpſerim comparere. O rem inauditam! O injuſtitiam quam mundus hucusquè non vidit. Aſt deſinamus mirari, multùm ſiquidem peccavit lacer iſte homo. Enimverò (ut advertit Paulus Granatenſis apud Barz ſerm. 51. n. 22.) quiqui fuerant ad nuptias illas Evangelicas invitati his omnibus in ipſo limine ingreſsûs veſtitus nuptialis fuerat diſtributus, quem lacer iſte malitiosè & contemptim abjecit: S. autem Hilarius in Matth. 22. per veſtem nuptialem intelligit gratiam Spiritûs S. Ecce quàm grande ſcelus quàm enorme facinus gratiam DEI malitiosè habere contemptim? videlicet nefas eſt dignum carcere gehennæ, dignum fletu, & ſtridore dentium nuspiam finiendo.

2. Dilectiſſime in Chriſto Frater Profeſſande! luce hodierna ad nuptias invitaris cæleſtes Votis Religioſis Paupertate nimirum, Caſtitate, & Obedientia DEO nuncupandis; nè igitur tam atrociter delinquas, allabora veſtem nuptialem, id eſt, gratiam magnifacere his nunquam contraveniendo. Quod, ut præſtes, vel illa permovebunt, quæ ulteriori adducam diſcurſu. Fave.

3. Legitur in revelationibus S. Brigittæ l. 1. cap. 10. de glorioſiſſima cælorum Regina, quòd in templo Jeroſolymitano adhuc degens,

jam

jam voverit paupertatem, quòd scilicet nihil in mundo unquam vellet possidere. Hinc videmus, quòd eadem DEI Mater in die purificationis suæ, non agnum more divitum, sed par turturum more pauperum voluerit offerre. Enimverò etsi in rupe Bethlehemitica tanto in pondere aurum à tribus magis oblatum acceperit, ut sinè omni ulteriori cura, & solicitudine vitam suam honestissimè sustentare potuisset, maluit tamen in paupertate vivere, quàm aliquid superflui penes se retinere. Hanc paupertatem considerans Doctor Seraphicus D. Bonaventura inquirit dicens: *Quid admiraris Virginem Beatissimam cum hoc auro egisse? fortassis illud retinuit penes se? aut in aliquo locavit loco? vel agros, vineasquè illô mercata sit?* Et mox reponit: *Nequaquam talia enim nihili duxit paupertatis amatrix, sed intra paucorum dierum intervallum pauperibus totum distribuit, nam difficile ei erat tale onus portare seu retinere.* Atqueadeò omnia ita distribuit egenis, ut dum Filium suum in templo præsentaret, quô agnellum compararet, non haberet. Fecerat autem hoc, ut eum, qui pro nobis egenus factus est 2. Cor. 8. 9. imitaretur, & nè in minimo, quò DEUM minùs diligeret, impediretur, aut retraheretur. Probè quippe nôrat res caducas valde cor humanum ab amore, & contemplatione rerum cælestium abstrahere, & retardare; atquè ut suô exemplô paupertatis E-

vangelicæ professores doceret illam omni nisu observandam, sectandam, custodiendam, hæc semper voluit esse pauper.

4. Et certè non paucos numerat DEI Mater sui imitatores; singuli enim Sancti contemplantes Christi, & Sanctissimæ ejus Genitricis, vel extremam rerum penuriam nescire haud potuerant quin ineffabilis cælestium bonorum thesaurus in hac voluntaria latitet paupertate, ideoquè hunc, ut mercarentur totam suam terrenam substantiam expendêre. Inter quos non postremum sibi vendicat locum D. Legislator noster Augustinus, qui etsi fuerat in Episcopali Cathedra collocatus, multaquè millia florenorum hæcce dignitas ei fructificaret; nihilominus tamen adeò paupertatis erat amans, ut morti vicinus, quô conderet testamentum, non haberet, quam suis sequacibus tamquam filijs charissimis hæreditariam reliquit, sciens perbellè quòd, *qui volunt divites fieri incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & desideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* 1. Tim. 6. 9.

5. Joann. cap. 2. 1. Dicit ibi S. textus nuptias factas esse in Cana Gallileæ. *Istæ nuptiæ* (ut ad nostram materiam, & secundùm expositionem Hugonis Card. in cit. locum scribentis loquar) *sunt inter Christum, & virum Religiosum. Initiantur in mundi abrenuntiatione, ratificantur in*

habi-

habitûs assumptione consummantur in Professione. Factæ sunt *in Cana Gallileæ* i. e. *in Zelo animarum, & transmigratione de vitijs ad virtutes* (*Cana* enim interpretatur *zelus; Gallilea* autem *transmigratio*) de quibus 2. Cor. 11. 2. *despondi enim vos uni viro virginem castam exhibere Christo.* Hanc desponsationem de qua l. c. loquitur Gentium Doctor perfectissimè perfici per Virginitatem, & per votum castitatis innuit D. Legislator Augustinus, dum tr. 9. in Joann. ita fatur: *Quæ virginitatem DEO vovent, sinè nuptijs non sunt, nam ipsa pertinent ad nuptias cum tota Ecclesia, in quibus nuptijs Sponsus est Christus.* Quod effatum S. Patris plurimùm conducit proposito nostro. Nam quemadmodum sponsa in nuptijs carnalibus totum amorem, cunctaquè sua una secum consignat marito, sic Religiosus in nuptijs spiritualibus non solùm se, ast & omnia sua consecrat, traditquè Christo. Et quidem quemadmodum sponsa mundi matrimonium contrahens cum sponso dicit: *Accipio te in meum*, ita anima Religiosi dicit ad Christum: *Accipio te in meum;* peculiariter per castitatem tibi soli servo fidem, tibi me tota devotione committo; quibus verbis ita Christo est devincta, & tam indissolubiliter, ac uxor obligata est marito. Quare Tertullianus de veland. virg. c 6. subinfert dicendo: *Nupsisti Christo, illi tradidisti carnem tuam, sponsâsti maturitatem tuam? incede secundùm Sponsi tui voluntatem.*

6. Castitas videlicet Religiosa, est illa virtus purissima, candidissima, nitidissima, rubicundissima, quâ animæ virgineæ desponsantur Dilecto præ millibus electo, candido, rubicundo; hæc æmula SS. Trinitatis, quippe quæ meretur DEUM ipsum habere Sponsum; cùm tanta sit unio inter Christum, & virginem, ut hæc illum sequatur quocunquè ierit: nec deest illi pulchritudo ordinata modò dicta, ipso testante Divino elogio Sap. 4. 1. & inclamante: *O quàm pulchra est casta generatio cum claritate immortalis est enim memoria illius, quoniam apud DEUM nota est, & apud homines.* Hæc enim illa est, quam imitantur omnes animæ justæ; quæ obtinet specialia DEI auxilia ad domandos carnis stimulos, eruit ex infinitis malis occasionibus, & consortijs, auget meritis, fruitur conscientiæ tranquillitate, & minimè tot jactatur concupiscentiæ fluctibus, quot sæculares soluti, & conjugati. O verè eximiam Status Religiosi præstantiam! O Professores Monasticen conversationis, quanti vobis vestra Professio facienda! si enim opilionis cujusdam filia à caula ad aulam, & in consortem Regis adscita, eo se nomine felicem judicat, seduloquè cavet, nè quid perperam faciat, quo sponso suo Regi fidem infringat: quidni anima vestra inops è stercore erecta, inter Principes populi collocata, & à DEO sibi desponsata,

ex-

exinde terque, quaterquè beata sibi ipsi gratuletur, atq; in reddendis votis, quibus ad connubium cæleste admissa est, industriam collocet, ac studium omne? Hinc perpendite connubij fædus per vota Religionis cum DEO initum, & si quis se ingerere velit creaturarum amor, quantocyus illum repellite S. Agnetis Virg. ac Mart. illustrissimæ verbis: *Discede à me pabulum mortis, quia jam ab alio amatore, anima mea præventa est. Iam corpus meum ejus corpori sociatum est, & Sanguis ejus ornavit genas meas; cujus Mater Virgo est, cujus Pater fæminam nescit. Ipsi soli desponsata servo fidem ipsi me tota devotione committo.*

7. Promptitudinem, quam Religiosi in obedientia professa debent præseferre S. Ignatius apud Rodericum par. 3. cap. 3. exprimit sequentibus verbis: *Ad signum campanæ, & Superioris vocem, perinde, ac si à Christo Domino egrederetur, quàm promptissimi simus, re quavis atqueadeò literâ à nobis incohata, necdum perfectâ, relictâ.* Duo hìc præscribit, *primum:* ut, dum campanæ signum vel Superioris vocem audiunt Religiosi, DEI vocem credant se audire. Eapropter operæ pretium est hìc considerare trium Magorum in obediendo promptitudinem, nam quemadmodùm hi visâ apparente sibi stella, apud se dixerunt: *Hoc signum magni Regis est, eamus, & offeramus ei aurum, thus, & myrrham:* ita Religiosos

audita campana vel voce Superioris dicere oportet: hæc vox DEI est, eamus quantocyus, & obediamus ei. *Secundum est:* ut etiam literam inchoatam, vocati imperfectam relinquant.

8. Porro, ut ostenderet Dominus quantopere sibi hæc punctualis obedientia placeat, sæpiùs id per miracula dignatus est confirmare. Refert enimverò S. Catharina Sen. in Dial. 165. de quodam Monacho, qui dum inter scribendum per campanæ signum vocatus literam semiperfectam reliquisset, eam dum ad cellam est reversus perfectam reperit, parte illa media, quam perficiendam reliquerat aureo colore inducta. Cellarius quoquè S. Columbani, ut legere est in ejus vita, à B. Patre vocatus, relictô doliô apertô cucurrit. S. Odo, dum scripsit compendium vitæ S. Martini, & pulsus inciperet ad Vesperas, relictô librô apertô ivit ocyus ad Chorum: approbavit DEUS horum promptitudinem, nam ex aperto dolio nec gutta effluxit cerevisiæ; & absente Odone, cùm pluviæ irruerent in cubiculum, cuncta præter librum vastârunt. Hinc bene S. Philippus Nerius dicere solebat, quòd, qui ut obedientiam adimpleat, orationem, vel quodvis aliud opus spirituale, cui adstrictus est, intermittit, is DEUM pro DEO relinquere censeatur. Imò V. Blosius in institutionibus spiritualibus authoritatem Tauleri adferendo inquit: *Si quis DEI munere ad tam*

altum

altum gradum sanctitatis pervenisset, ut DEUM re ipsa semper præsentem visibiliter, secumquè habitantem haberet, is si ad aliquod opus obedientiæ evocaretur, humiliter DEO dicere deberet: eja suavissime DEUS! permitte me, obsecro, hanc obedientiam tui amore perficere. Credite mihi humilis ista propriæ voluntatis abnegotio in illo homine multò gratior esset, quàm si ille idem tunc cum omnibus Beatis Spiritibus cœlum penetraret.

9. Non per speculum, & in ænigmate, sed palam, & in aperto vides Dilectissime in Christo Frater Profesfande quantùm æstimet O. DEUS obedientiæ punctualitatem; modò nihil jam superest, quàm, ut & tu illam in omnibus quæcunquè, quandocunquè, & quomodocunquè tibi præcipientur observare ad amussim conitaris. Esto talis semper, ut cum Psalmista identidem dicere valeas illud, quod ille ardentissimo in DEUM affectu olim effudit: *In me sunt, DEUS, vota tua, quæ reddam, laudationes tibi.* Psal. 55. 12. Hæc autem ita expofita intelligas: *In me sunt, DEUS, vota tua. In me,* sive in mente, in memoria mea. Vel: *Apud me* prompta. *In me sunt,* quia apud me nunquam recedunt, ajt Glossa Ordinaria. Et hoc est, quod tibi modis omnibus exopto, ut Vota Religiosa sic inte sint, ut nunquam à mente, & memoria recedant, semperquè apud te prompta sint, ut, quæ hìc, & nunc vovebis, jugiter in promptu habeas ad

reden-

redendum. Pactô quô, vestem nuptialem, id est, gratiam magnifacies efficierisquè dignus, qui nuptijs Agni cælestis perfruaris in perpetuas æternitates.

EXHORTATIO XXXII.
ad unum.
Nemo novit Filium, nisì Pater. Matth. 11. 27.

1. IN aperto est, filium debere esse imaginem patris, ejusquè veram præseferre similitudinem. Et vel ideo, quia patris, & filij eadem species, & natura; perfectè nemo novit filium nisì Pater. Monstrum naturæ, & nequaquam filius dicendus ille, qui patris imaginem in se non exprimit; qui à virtute degener genitoris. Erubescit, qui genuit appellari pater ab eo, qui naturam non hæreditavit. Et sicut denegat genus, qui genitoris in se non refert speciem; ita non meretur agnosci à patre pro legitimo, qui vitæ seriem non æmulatur patris. Et quomodo, quæso, à filio degenere, genitor dignaretur nuncupari pater, si vel Doctor, à discipulo discolo, recusat appellari Magister? Magister volumus à te signum videre? dicebant quondam Pharisæi Christo Matth. 12. 38. Et iste quid respon-

respondet? O! generatio mala, & adultera. ibid. ℣. 39. Quasi diceret: absit hoc à me, ut vestrũ me profitear Magistrum, qui omnis falsitatis professi discipuli estis. Ego sanctitatis Professor, vos larvata virtutum monstra; quia hypocritæ. Ego Pastor, sed non vester, qui lanam quidem ovium, & vestimenta induistis, ast intrinsecùs lupi rapaces estis Matth. 7. 15. Pater sum ego, ast illos duntaxat pro veris agnosco filijs, qui mea in se effigiant sanctioris vitæ lineamenta! vos ex patre diabolo estis Joann. 8. 44. cujus idæam delineatis operum vestrorum pravitate. Verbô: generatio prava, & adultera, *dico vobis, nescio vos.* Matth. 25. 12. Execratur Christus veritatis Magister fictos discipulos, bonus Pastor morbidas oves, Pater futuri sæculi degeneros filios. Verùm quid, quæso, mirùm, quòd æterna Sapientia non velit nôsse, nisi suæ virtutis æmulatores, si vel ipsa irrationabilia abortivum repudiant fætum? Enimverò Naturalistarum relatio est, pullos aquilarum è nido arreptos patris ungue suspendi, radijsq; solis opponi; qui fulgorem ejus fixè contemplatur, filius agnoscitur; qui verò acie palpitat, abjicitur tamquam adulterinus.

2. Dilectissime in Christo Frater Profesfande! Votis Religiosis, Paupertate duntaxat, Castitate, & Obedientia hic & nunc DEO nuncupandis aves in nido Eremitico Divi Pauli

The-

Thebæi parturiri, illius deniquè filius intitulari; verùm Paulus veluti Pater explorabit vitæ tuæ tractu num solem, ejusquè radios hæc videlicet exactè observando palpebrâ inspexeris irretortâ. Si ita? pro genuino agnoscet, & declarabit: *nam nemo novit Filium, nisi Pater*; si verò acie palpitans, si te ab ijs repererit recalcitrantem, veluti adulterinum repudiabit. Quod nè facias, vel illa conducent, quæ ulteriori aducam discursu. Fave.

3 Celeberrimum, & solemnem illum Christi Domini in civitatem Jerusalem ingressum si quis contempletur, introspiciatquè oculis cordis, omnia magnifica, omnia sublimia, omnia invenientur illustria, si in veritatis lance singula expendantur, si oculo fidei inspiciantur, quæ in ipsis mysteria latent. Ast, si dictus Christi triumphus in Jerusalem (de quo Zacharias longè antea prophetavit, & Evangelista Matth. 21. 5. in suo Evangelio scribit) oculis corporis spectetur omnino vilis, & contemptibilis apparebit. Porro Christus Dominus, qui ab initio solitus est conjungere summa infimis, cælum terræ, Divinitatem humanitati, Majestatem vilitati, gaudium lachrymis, gloriam ignominiæ, vitam morti, etiam in hoc triumpho humilitatem sublimitati sociavit, dolorem gaudio commiscuit, paupertatem abundantiæ, & inopiam gloriæ confœderavit. *Ecce Rex tuus veniet tibi justus, & Sal-*

& Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinæ. Zachar. 9. 9. *Ecce Rex tuus venit tibi mansvetus, sedens super asinam, & pullum filium subjugalis.* Matth. 21. 5.

4. Vehitur Salvator mundi, Creator, & Conservator cæli, & terræ in hoc triumpho (obstupesce Sion!) asinâ, & asellô filiô subjugalis, utiquè nihil vilius? turbæ, & pueri occurrunt ei. non primores, non optimates, utiquè nullus triumphus, ast veriùs popularis tumultus? Ubi sunt pretiosi illi tapetes, ubi alia triumphatorum insignia ? nihil horum, sed tantùm viles in via prosternuntur vestes, quô quid contemptibilius? Ad unius fortè horæ spatium acclamatio perdurat popularis; theatralis Rex videtur, & scenicus. Rex unius horæ: quid magìs irrisione dignum? in medio acclamantis turbæ amarè flere cæpit, quid triumpho cum lachrymis? nec ei vel modicum cibi, potûsvè esurienti, vel sitienti proponitur, ita, ut cogatur civitate egredi non tam confusus, quam impransus; quid pauperius ? nihil ergo hic magnificum, nihil illustre, nihil regale. Omnia prorsùs popularia, vulgaria, & vilia, ludibrio magìs, quàm triumpho similiora, splendidam redolentia paupertatem. O Majestas tantopere humiliata !

5. Ast quid, quæso, aliud intendit novi testamenti collator Christus Dominus, prætérquam paupertatem in hocce ingressu testatam in se ipso primitùs consecrare, eam palam docere,

cere, exercere, & beatificare, ut nos doceret (Joann. 13. 15.) omnia transitoria, carnalia, & caduca, atquè præsentia vili pendere, relinquere, ac spiritualia bona relictis temporalibus totis medullis cordis quærere, futuræ vitæ beatitudinem ardentissimè desiderare, spiritualibus exercitijs occupari, & vitam cælestem in terris ordiri. *Non enim habemus hic manentem civitatem, sed futuram inquirimus,* inquit Gentium Doctor Paulus Hebr. 13. 14. Eapropter apud suum Evangelistam Luc. 14. 13. protestatur coram cælo, & mundo dicens: *Qui non renunciaverit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.*

6. Præterea (verbis autor Dionysij Carthusiani, quæ ille habet Dom. Palm. serm. 6.) *Christus Rex Israël urbem sanctam Jerusalem ingressurus non regio diademate se ornavit, non purpuram induit, non albo, aut regali sonipede usus est, sed vili, miti, ac simplici bruto, videlicet asinâ vectus est, ut regnum suum ostenderet esse non de hoc mundo, non terrenum, aut sæculare, sed cæleste, ac æternale paupertatem appretians, docens, ac servans.* Meritò itaquè Patres quidam *instituerunt, ut in quibusdam cænobijs, ac claustris die isto* (Dominica videlicet Palmarum) *in capitulis Religiosorum excommunicentur proprietarij, qui ex voto obligantur ad paupertatem, quibus non licet habere peculium, nec habere aliquid proprium juxta illud communis*

pro-

proverbii: Monachus habens obulum, non valet obulum. Unde quemadmodum Simoni Mago, sic Monacho proprietario est dicendum, pecunia tua h. e. peculium tuum, res tua propria sit tecum in perditionem.)

7. Dividens Apostolus merita castitatis ita 1. Cor. 15. 41. inquit *Alia claritas solis, alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum.* Quid, amabo, per prædicta intelligit verba? Respondet D. Isidorus Pelusiota l. 3. epist. 381. *Soli eos, qui virginitatem amplexi sunt, lunæ autem eos qui continentiam, ac denique stellis eos, qui honorabile conjugium amplexi sunt, atque conservârunt, comparat Paulus.* Non multùm nomine differunt castitas, & claritas: ad claritatem tantò majorem ascenditur, quantò major castitas obtinetur. Simul castitas, simul claritas nascuntur, & educantur. Et verò: tres filiæ fuêre Jobo. *& vocavit nomen unus Diem, & nomen secundæ Cassiam & nomen tertiæ Cornustibii.* Job. 42. 13. 14. Qua ratione primæ herulæ Diei nomen imponit? causa esse videtur, ut castitati decorem, & splendorem proprium esse ostendat; prouti explicat D. Gregorius Nyssenus hom. 9. in Cant. de filiabus Job disserens: *Quarum Cassia nobis ostendit studiorum vitæ puritatem, & bonum odorem. Dies autem honestatem, & decorem. Sicut dixit Apostolus eos; qui purè vivunt, nominari filios lucis.*

8. Talis revera; tantusvè virginitatis

ſplendor eſt, ut illuſtriſſimum humanæ naturæ decus, & ornamentum præcipuum eſſe cenſeatur, ex quo ipſemet DEI Filius nomen aſſumpſiſſe, Pſalmographo teſte, canitur, decorem. *Dominus regnavit, decorem indutus eſt: indutus eſt Dominus fortidinem, & præcinxit ſe.* Pſal. 92. 1. In caſtiſſima carne decorem induit, ut novo cælum, terramquè ornatu recrearet. Atquè hic ornatus in lilijs adumbratur, de quibus Salvator apud ſuum Evangeliſtam Matth. 6. 28. 29. inquit: *Conſiderate lilia agri quomodo creſcunt: non laborant, nequè nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt ſicut unum ex iſtis.* Superavit Salomonis ornatus omnium Regum paludamenta; aſt ornamentum Salomonis lilia ſuperârunt, tamquam ſymbola caſtitatis. Audiamus D. Paſchaſium, qui in Pſalm. 44. ita fatur: *Virginitas, quæ Angelis comparatur, per lilia ſæpe in Scripturis præfiguratur. Et ideo dixit Dominus, quòd nec Salomon in omni gloria ſua coopertus eſt, ſicut unum ex iſtis.* In quibus duntaxat floribus renitet intus floris veri incorruptio, & pulchritudo per claritatem integræ caſtitatis. Nuſpiam Salomoni ornatus ſuus ſplendorem tantum mutuavit, quantum à lilio caſtitatis Filius Virginis in cunis Bethleem accepit, cum fortitudinem induit, & decorem. *Regnavit* (ajt Rupertus l. 3. in Apoc. c. 3.) *cùm virgineam aſſumpſit carnem, in qua ad Angelorum omnium*

um ſtuporem nimiumquantum formoſus refulſit; quis eſt iſte formoſus in ſtola ſua?

9. Non eſt in cælis tam ſpecioſa veſtis, quàm illa, quâ continentes amiciuntur, ad Archangelorum, ut ita loquar, æmulationem, qui, cùm ſpecioſiſſimi apparere volunt, in albis ſe videndos dignantur, equidem, & Regem ſuum eodem colore conſpicuum vident. Pauca nomina habemus in DEI electi de quibus Apoc. 3. 4. *Qui non inquinaverunt veſtimenta ſua & ambulabunt* cum ſpecioſo formâ præ filijs hominum, *in albis, quoniam digni ſunt.* Ergo: *Qui vicerit, ſic veſtietur, veſtimentis albis, & non delebo nomen ejus de libro vitæ, & confitebor nomen ejus coram Patre meo, & coram Angelis ejus.* ibid. ℣. 5. Atqueadeò ſpecioſiſſima in cælis ſtola albicat, ob caſtimoniæ ſummam illam, & ineffabilem prærogativam. Egregiè ad noſtrum diſcurſum Rupertus l. 2. in Apoc. inquit: *Qui non inquinaverunt veſtimenta ſua, id eſt, incorrupta ſervaverunt corpora ſua, ambulabunt. mecum in albis, mecum, inquit, filio Virginis, mecum, cujus caro virginea continentiæ dedicavit exemplum, qui ſum virgineus flos, virginitatis lilium. Mecum ambulabunt in albis, id eſt, in corporibus immaculatis cum quibus reſurgunt nitidi velut agni.* Verbô: caſtitas cauſa fuit, cur cælorum Rector deſcenderit, veneritquè in mundum, ut in terris cælum repræſentaret. *Ad hoc DEI Filius veniebat in mundum* (ajt

Angelicus Ecclesiæ Doctor S. Thomas opusc. 220.) ut *nos ad resurrectionis statum promoveret, in quo nequè nubent, nequè nubentur, sed erunt sicut Angeli DEI in cælo. Unde, & continentiæ, & integritatis doctrinam introduxit, ut in fidelium vita, resplendeat æqualiter gloriæ futuræ imago. Veniant igitur* (concludit Petrus Damiani de sepulchro S. Joann. Evangel.) *omnes nationes gentium, & stupescant miraculum omnibus sæculis inauditu. - - - Ecce, quid mereatur pudicitia virginalis! ecce quantæ magnitudinis est inviolatæ carnis integritas!*

10. Ut obedientia Religiosa semper illæsa à suis professoribus servetur, inter reliqua etiam hoc requirit, ut sit *fortis* id est, nè quis ab obediendo resiliat propter rei arduitatem. *Oportet* enimvero (inquit Basilius Const. monast. cap. 20.) *inprimis, ut is, qui se ad vitæ hujus rationem contulit, stabili, firma, immobiliquè voluntatis constantia sit, judicioquè tali, ut à malignis spiritibus nequè concuti, nequè locô pelli possit. Deinde animi firmitate tanta, ad mortem usquè Martyrum exhibeat constantiam tum divinis præceptis retinendis, tum obedientiâ erga suos Magistros, conservandâ.* Necesse proin, ut Religiosus non detrectet exequi etiam difficillima sui Superioris mandata, & postquam inceperit, non cesset ob difficultates obvenientes. Nam nîl prodesse currere, & ante metam in cursu deficere docet Bernardus. Hinc Apostolus suos Corinthios ep. 1. cap. 9. ℣. 24.

serið

ſeriò cohortatur dicens: *Sic currite, ut comprehendatis.*

11. Eapropter, ſi laborioſæ obedientiæ arduitas, quempiam ab inceptis pedem retrahere titillaret, talis conſideret ſe voviſſe DEO obedientiam usquè ad mortem. Quod ergo ſemel egreſſum eſt de labijs noſtris, obſervabimus, & faciemus, ſicut promiſimus DEO noſtro. Deut. 23. 23. Quò verò fortiùs ejusmodi tentationem à ſe propulſet, datum ſibi exemplar in monte Chriſtum Dominum intueatur, qui non in re levi, & facili factus eſt obediens Patri ſuo æterno, ſed usquè ad mortem: nec eam quâ homines magno doloris ſenſu extinguuntur, aſt violentam; & nequè inter violentas celerem, & honeſtiorem, qualis gladiô, aut ſecuri percuſſis infertur, ſed crucis, id eſt, mortem longam, & infamem, nam affixi cruci in ſanguine ſuo natantes diu mori ſinebantur, eratquè hoc genus ſupplicij ſervorum, aut vilium, uti docet Lipſius in libro de cruce.

12. Quod ſi quis cauſam ſcire diſcupiat, cur tam grave, & durum præceptum accipere voluerit Chriſtus? hæc non eſt alia, quàm, ut perfectum nobis daret, tam nobilis virtutis, obedientiæ nempe exemplum; nè quis impoſterum queri valeat, ſibi à ſuis Superioribus dura admodum præcipi, ſed ſciat, & ſoletur ſe quisquè cogitans, Chriſtum longè durius à Patre

subeundæ crucis mandatum accepisse. Eapropter Bernardus in libro ad milites Templi cap. 13. præclarè subinfert: *constanter obediendum, nec inter verborum, seu verberum asperitatem tam regalis semita est relinquenda.*

13. Perbellè huc quadrare videtur illud, quod refert Simon Metaphrastes de quodam Adolescente, qui sæculi deserendi desideriô actus, quemdam de priscis illis Anachoretis adijt illius se discipulum esse velle dicens. Senex ostensurus qualem eum esse oporteret, si Monachus, & discipulus suus esse vellet, statuam in vicino quæ erat, flagellare, ac fustigare, quin & calcibus eum impetere jubet. Dictum, factum. Percontatur dein senex num statua ad has injurias conquesta esset, vel oblocuta? Minimè adolescens inquit. Tum Senex: rursus eam verbera sicut prius, & verberibus adde injurias, & probrosa verba; quod, cùm iterum, ac tertiò fecisset roganti Anachoretæ num quid statua indignata, ad injurias has respondisset? nequaquam ajt Adolescens. Quare Senex: si, inquit, tam patienter ferre quæas, ut eôdem modô ego agam tecum, quô tu ante cum statua, nullatenus, ut indigneris, obmurmures, vel offendaris, age; disciplinæ meæ te subdito; sin minùs, revertere ad propria, quia Religiosô statui es ineptus.

14. Quod nè & tu Dilectissime in Christo

Fra-

Frater Professande audias ; sis mutus, cæcus, surdus, & insensibilis (ut ita dicam) usquè ad ultimum halitum obediendo. Obversetur jugiter memoriæ tuæ illud tritum: *Religioso habenti proprium, negabit DEUS suum proprium, quod est misereri & parcere*: quô quid efficacius ad non excedendos limites Evangelicæ paupertatis? Et quantò magìs cupis DEO appropinquare, Divinæquè ejus charitatis igne succendi, tantò ferventiùs studeas castitati; quia DEUS solummodò cor purum habere, & sibi offerri desiderat. Quod si feceris à Paulo Patre pro genuino agnosceris filio, habebisquè partem cum illo optimam, quâ non privaberis in sæcula sæculorum.

EXHORTATIO XXXIII.
ad plures
Vos estis templum DEI vivi.
2. Cor. 6. 16.

1. INter alias, quibus Omnipotentissimus DEUS Religiosos insignit, prærogativas, etiam acedit dignitas ex consecratione, quæ quidem dignitas altior dubiô seclusô est, quôvis fastigiô humanô, ac veriùs nescio quid ex ipsa divinitate quôdammodô participat, quatenus quidem hominum infirmitas ejus participationis

est capax. Ut enim DEI natura ob suam excellentem eminentemquè præstantiam, omnem honorem, cultumquè, ac reverentiam sibi jure vendicat; ita quidquid ei dicatur, ob eam ipsam conjunctionem, quiddam aquirit, quô justam venerationem habere credatur, & à reliquarum rerum ejusdem generis numero, & quasi turba secerni. Hoc igitur efficit Religiosus Status, qui omnes, ejusmodi qui susceperint, amplexiquè fuerint institutum DEO dedicat, consecratvè. Ita enimverò Angelicus Doctor cùm omni sua Familia 2. 2. qu. 88. art. 7. ubi de solemnis voti natura disputat, eam in consecratione consistere docet, quâ animus divina vi ita imbuatur, ut deinceps nullo tempore, nullo casu deleri, aut eradi queat. Eapropter D. Legislator Augustinus, dum Psalmum 131. interpretatur hoc luculenter confirmat horum votorum vi agi, ut simus templum DEI. Et Basilius serm. 1. de mod. inst. qui nuncium sæculo remisit eum jam ajt divinum quoddam vas effectum esse, idquè ei cavendum, nè vitioso usu polluatur, sequè ipsum custodire debere veluti quiddam DEO dicatum, nè in sacrilegij scelus incurrat, si videlicet corpus, quod DEO sacravit rursum ministerio vitæ contaminet communis. Ecce sacrilegium putat esse Basilius, si quis postquam sacer effectus est, non modò peccatô se commaculet, sed etiam si ad profanum, & ut ille inquit,

com-

communem usum iterum convertatur.

2. Dilectissimi in Christo Fratres Profes-sandi! quis est magis profanus, & communis usus, ad quem non nunquam convertuntur Re-ligiosi? non alius profectò, quàm dum Votis Religiosis; Paupertate nimirum, Castitate, & Obedientia non reddunt illa Omnipotentissimo DEO in recognitionem supremæ illius, & in-finitæ Majestatis, quæ olim spoponderunt. Qua labe nè vos quoquè inficiamini, vel illa condu-cent, quæ subsequo adducam discursu. Favete.

3. Gen. cap. 19. 19. & 20. Cùm Loth in montes fugiendo iram Domini punientis pes-simas illas civitates Sodomam, & Gomorrham, & omnen circa regionem cum universis habi-tatoribus urbium, non posset ascendere (de-bilis enim, & antiqus dierum erat) rogavit Dominum, ut in civitate parva, quæ juxta erat salvaretur. Suscepit Dominus preces ejus: *Dixit-què ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es. Festi-na, & salvare ibi, quia non potero facere quidquam donec ingrediaris illuc.* Parva civitas paupertatem denotat, in qua salvantur, qui illam utpote ma-nuductricem quamdam in via, quæ ducit ad cæ-lum; unctionem athleticam; exercitationem ad-mirabilem; portum tranquillum, & quâ nihil est opulentius, quæquè potior est opibus impro-bis, arripiunt spontè. Hinc D. Legislator Au-

gustinus in soliloqu. *Ecce* (inquit) *Domine pauperes filij tui sumus, & pusillus grex tuus, aperi nobis januas; & edent pauperes, & saturabuntur, & laudabunt te. Scio Domine, & fateor, quoniam soli illi, qui cognoscunt se pauperes ditabuntur à te.* Solis illis civitas hæc parva portio terræ viventium erit, refugiô, asyllô tutellæ inculpatæ, qui ita omnibus se pro Domino spoliaverunt, ut in hoc tantopere gaudeant, quòd nihil possideant mundi. Qui omni affectui valedixerunt pecuniæ, quam S. Franciscus Seraphicus (ut notat Doctor Extaticus D. Bonaventura) nihil aliud servis DEI affirmabat, quàm *diabolum, & colubrum* venenosum. Quod & portentosô spectaculô cuidam Fratri ad oculum demonstravit. Enimverò cùm Sanctissimus hic Patriarcha iter ageret, reperit crumenam pecunijs turgentem, cùmquè ejus socius Franciscum multùm urgeret, ut sibi crumenam tollere liceret, tandem vir DEI petitis aquievit, consensitvè Fratris. Sed ille pecuniam levans reperit, & deprehendit virulentam viperam tenere.

4. Civitate igitur parva, paupertate Evangelica mundi eripiuntur incendiô Religiosi, ast quô, queso, tegentur velamine tegentur, nè flammis urantur æviternis, quod antidotum capient, ut à sua sanentur lepra illi, qui de numero horum vitio proprietatis laborant? Mandavit

vit olim DEUS Moysi, Num. 5. 2. *Præcipe filijs Israël, ut ejiciant de castris omnem leprosum.* Idem nunc agunt de leproso, seu proprietario Religioso, Canones Sacri, & conformiter illis nostra Statuta Const. p. 3. c. 32. §. 3. n. 1. & sequent. quæ de pæna proprietariorum sic sonant, itaq; contra illos tonant: *Qui comestibilia, aut alia parvi momenti receperit sinè licentia Superioris, prima vice comedat in terra medij Refectorij, pro secunda vice disciplinetur fortiùs, deinceps pro arbitrio Prioris luat. Si verò pecuniam, aut aliquam rem magni momenti, cujus quantitas in Provincijs tam pro casu reservato, quàm pro censura per Definitorium determinanda est, sinè licentia à quocunquè habuerit, vel alienaverit, sive sit Prælatus, sive subditus, à Confessario absolvi non possit, nisi illud priùs Superiori præsentaverit, vel alienatum, si possibile fuerit, recuperaverit, deinde præter privationem vocis activæ, & passivæ, culpæ gravioris pænæ per mensem subjaceat, quæ augeri, & minui potest juxta qualitatem delicti, & quantitatem materiæ. Si verò in morte (quod DEUS avertat) proprietarius quis, sive ex subditis, sivè ex Prælatis inventus fuerit, Sacrificium, aut aliquod Officium pro ipsius anima non fiat, & sepultura Ecclesiastica privetur. - Surripientes præter infamiam duplicatâ pænâ proprietariorum puniri debent.* Ecce ejectionem extra castra, exauthorationem à communione, proscriptionem de civitate parva. Meritò proin inquit

Trithe-

Trithemius Abbas: *Væ vobis proprietarijs qui votum vestrum infringitis, & iram* DEI *contra vos provocatis, quoniam leviùs habebunt meretrices in die Domini, quàm vos superfluitatum sectatores, si morientes in hoc nequissimo vitio fueritis deprehensi.* Non enim simplex vitium in Monacho censetur proprietas, ubi jurata DEO fides violatur. Hinc Magister in Regu. *Si quid peculiare, aut aliquid inventum in aliquo fuerit, grandi eum Abbas, & diuturna excommunicatione condemnet.*

5. Continentiæ præmium expertus S. Joannes Apoc. 14. 4. ita inquit: *Hi sunt, qui cum mulieribus non sunt coinquinati: Virgines enim sunt. Hi sequuntur Agnum quocunquè ierit.* Dilecte præ cæteris Magistri cælestis Discipule! an non sequantur, & alij Sancti, puta Patriarchæ Veteris Testamenti, & tot conjuges sancti in nova Lege? Sequuntur quidem, sed non quocunquè. Et hic est sensus D. Augustini; qui l. de Virginit. sic habet. *Sequuntur Agnum cæteri fideles, qui virginitatem corporis amiserunt, non quocunquè ille ierit, sed quousquè illi potuerint.* Non habent tantam agilitatem cæteri Sancti, ut vestigia Agni legere possint, solis continentibus velocitas competit tanta. Similitudinem à navicula affert S. Gregorius Nazianzenus, quam venti vis parvula, in quam voluerit partem, defert, & oneratam navim vix movet totus ventorum furor:

Sic

Sic etiam innupti, quoniam levioribus ævum
Trajiciunt pedibus, leviore videntur egere
Numinis æterni auxilio, aflatuquè minore.

6. Et verò: de monte Libano Sponſus evocat Sponſam, ut expeditiſſimo curſu properet, voletvè ad coronam. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni: coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus pardorum.* Cant. 4. 8. Supra quæ verba S. Ambroſius exhortat. ad virg. ita ſcribit: *Virgo eſt illa, quam vocat JESUS, cui & dixit: Ades huc à Libano ſponſa, ades huc à Libano, tranſibis, & pertranſibis, tranſit Virgo ſæculum, & pertranſit ad Chriſtum.* Hæc, hæc Chriſtipara Virgo, cùm in Ægyptum Bajula eſſet JESU, nubi, propter celeritatem comparatur. Sic enim vaticinatur Domini Propheta: *Onus Ægypti. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulacra Ægypti à facie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus.* Iſa. 19. 1. Ubi iterum citatus S. Ambroſius inquit: *Nubem itaquè Mariam dixit, quâ carnem gerebat; levem, quia Virgo erat.* Atqueadeò agnata virginitati, agnata caſtitati, agnata continentiæ eſt celeritas ad obſequia divina adimplenda. Concurrunt etiam duo Diſcipuli ad monumentum Salvatoris, Petrus nempe, & Joannes, aſt, ut loquitur D. Hieronymus, Petro tardiùs ambulan-

bulante, virginitatis alis Joannes cucurrit ad Dominum alatus: alas quippe addit virginitas, ut velocibus pares Angelis homines, ventorum pennas transcendant. Petrum quoquè ad sui sequelam nomine proprio compellatum invitare Debuit JESUS: *sequere me*, Joann. 21. 19. Joannes non vocatus, sequitur ubiquè: *Conversus Petrus vidit illum Discipulus, quem diligebat JESUS, sequentem*, ibid. ℣. 20. quia, ut advertit Angelicus Ecclesiæ Doctor: *Virgo erat corpore, ac mente, virgines enim sequuntur Agnum, quocunquè ierit.* Et hæc est etiam ratio, cur in domo Caiphæ, cur sub cruce, cur ubivis cum JESU Joannes? quia virgo erat mente, & corpore; quia speciali castitatis. alios anteibat, prærogativa virgo electus, virgo permanens in ævum.

7. Refert Collector Exemplorum Fratrem Allipium à S. Francisco Ordinis Eremitarum S. Augustini adeò obedientiæ deditum fuisse, ut ex hac digitum planè accendere non dubitârit. Cùm namquè Magister jussisset candelam accendere, & hæc fortè deesset, mox imperavit illi, ut digitum accenderet. Quid ageret Allipius, obediretnè & digitum cremaret, aut se modestè excusaret? At verus obediens omnis excusationis, & tarditatis nescius, protinus imperata Patris executurus, digitum applicuit igni. Rem admiratione dignam! digitus enim ejus, non secùs ac candela luxit, omnibus stupore defixis.

Hinc

Hinc pro merito aves, & pisces cunctis stupentibus habuit obsequentes sibi.

8. Nolim ego hìc inobedientiæ noxam perstringere censuris, quæ utiquè juxta omnium sententiam, viam damnationis parat; sed quæ S. Catharina Bononiensis Ordinis Seraphici monet in libello DEI jussu conscripto adduco tantùm. *Quis dubitare potest de sua salute, si finiat vitam in obedientia, quæ plùs facit similem Domino suo Christo, quàm ulla alia virtus? Creat firmiter, se meliùs salvandum per illam, quàm ullam pænitentiam, jejunium, & quamvis contemlationem.* Thomas autem Kem. de discip. clastr. c. 4. fol. 90. sic sentit: *Hæc sancta, & simlex obedientia plùs prodest, quàm alia doctrina. utior est, quàm potentia, & securior, quàm dignitas & Prælatura.* Hinc illud est, quod devotissimus Malleolus mentibus nostris inhærere tenacissimè cupit, cùm part. 3. ad Novit. serm. 9. iquit: *Non dedignetur homo vilis, & ignarus, pulis, & cinis futurus se subdere homini salutaria suadenti, quando S. Angelus Gabriel missus à DEO, statim obediens venit nunciare Mariæ Incarnationem Christi, sed hoc mirandum ampliùs nobis propositum ad imitandum, quòd DEUS homini obedivit, servivit, & ad vilia, & infima se humiliter inclinavit, nè alicui quantumcunquè sua opinione docto, magno, & præcellenti grave sit obedire Majori, aut etiam æquali, imò minori, cum Christus hæc omnia priùs*

fece-

fecerit, *obediendo Mariæ*, *& Josepho*, *relinquendo Templum*, *& Doctores*, *ubi poterat habere favorem*, *& honorem*, *descenditquè cum Parentibus in Nazareth*, *&* erat subditus illis, *ubi multis amicis*, *quàm magnus esset*, *mansit incognitus*.

9. *Studete igitur* Dilectissimi in Christo Fratres Professandi (verbis iterum loquor citati Thomæ Kemp.) *jam esse tales ad Prælatum vestrum*, *quales subditos vos ipsi velletis habere*, utiquè bonos, & humiles, & non rebelles, si eligeremini ad præsidendum. Discatis ergo ipsi primitùs alteri humiliter subesse, & reverenter obedire, ut digni sitis alios instruere, & utiliter regere positis, nè majori periculo stringamini, si hoc ab alijs exigetis, quod ipsi minimè impendistis. Ex vobis ipsis forte exurgent, & evadent pariter Superiores, propter quod memoriâ memores estote, & exercete strenuè in opere, quæ obedientiæ sacræ exigit virtus. Solerter intendite, ut DEO per omnia placeatis, omnem obedientiam hominibus præstitam ad ipsum referendo, quod consulit Apostolus Coloss. 3. 22. *Non ad oculum servientes*, *quasi hominibus placentes sed ut servi JESU Christi*, *facientes voluntatem DEI ex animo*. Audite Umbertum Virum Religiosissimum, qui in comment. in Reg. S. August. c. 2. de rerum communione c. 17. ita fatur: *Tria sunt genera peccatorum quæ magìs sunt persequenda. Unum est peccatum contra*

Rem-

